



urn:nbn:de:hebis:30:1-105675

Exercitationes varii argumenti.

Jud. 1350, 1



JOH. CHRISTOPHORUS WAGENSEILIUS .  
Juris utriusq; Doctor, et Juris Publici, ac Can.  
et Linguarum Orientalium in Academia  
Aldorfina Professor .  
Natus Nöriberga A.C. clo lccxxxiii .

J. Sandrart sculpsit .  
A. 1680



*ann*  
**D. JOH. CHRISTOPHORI  
WAGENSEILLI,**

*Juris Publici ac Can. ut & Linguarum Orientalium in Academia Altdorfina Professoris quondam celeberrimi*

**EXERCITATIONES**

Varii Argumenti.

*Accesit*

**VITA**

*Et*

Consignatio Scriptorum

**AUTORIS**

*Cura*

**FRIDERICI + ROTH-SCHOLTZII**

**SILES.**



*Syl*  
Norimbergae & Altdorfii,  
Apud Haesedes JOH. DAN. TAUBERI. *Incl. 1330* MDCCXIX.





*CELSISSIMO POTENTISSIMOQUE  
PRINCIPI AC DOMINO,*

DOMINO  
MAXIMILIANO  
EMANVELI.

SVPERIORIS ET INFERIORIS  
BAVARIÆ, PALATINATVS ITEM  
SVPERIORIS

D V C I,  
COMITI PALATINO ADRHENVVM,  
S. R. IMPERII  
ARCHIDAPIFERO ET ELECTORI,  
LANDGRAVIO LEVCHTENBERGICO

&c. &c. &c.

ORBIS CHRISTIANI DEFENSORI  
INCLVTO, FELICI, VICTORIOSO:

Vita, Salus, Gloria!



CELISSIME ET POTENTISSIME  
PRINCEPS ELECTOR,

*DOMINE CLEMENTISSIME.*

**N**on utique iratum habeo, Divinum Genium TVVM, si illis, prosperum reditum, & TVAS TIBI adversus Turcas Victoria sgratulantiũ immensis turbis, quæ, Aulæ TVÆ quotidie obsident limina, sollicitant fores, atria implent, mea quoq; parvitas se immisceat. Conveniunt in hoc Supremi Numinis, ejusque in terris vices agentium Principum Ædes, quod nemo ab utrisque tanquam profanus aut indignus arcetur, modo pietate, quamvis rudis ea sit ac simplex, compositam mentem secum afferat. Defuncti hæctenus omnes Boni sumus, solvendis DEO Optimo Maximo gratis, quod cladem, & exitium, quæ vehementer imminabant,

bant, a capitibus fortunisq; nostris avertit, ejusq; aris, supplices ac proni, victimas honoresque, puris manibus, rite, & cæremoniis sanctissimis, imposuimus. Superest nunc, erga Eum quoq; non ingratos nos præstemus, per quem cœlestis Providentia, mortalium cœtibus sese dispensavit, suaque terris munera elargita est. **T**v, is es, rerum humanarum grande decus, & præsidium, felicitatis Seculi specimen, efficacis Naturæ dicam, an Virtutis ostentum? **CELISSIME PRINCEPS;** qui, auspiciis majoribus publicæ salutis præfectus, **T**vis curis, nostros Penates, **T**vo robore, nostram vitam, **T**vis vigiliis, nostrum somnum defendisti. Talia enim sunt, quæ in iteratis **T**vis **T**urcicis expeditionibus, & nupera **Budæ** expugnatione, a **T**e gesta accepimus, ut non admirationem modo nobis, sed adeo stuporem incutiant, cogantq; omnes linguas, si id aliter fieri non potest, saltem inconditum murmur aliquando, in laudes **T**vas se resolvere. Quippe, **T**v nulli fortitudine secundus, in extrema acie, aut prima, ubicunq; opus erat, consistens, cunctis affuisti provisu, affulisti ope, consuluisti labore. Interdum vero gregario militi immixtus, trepidantes provocasti exemplo. **T**v, quoties in hostes te effunderes, velut alter **Mavors**, obvios dextra prostravisti, remotis, oculorum ardore, formidabilique conspectu, incussisti terrorem. **T**v, nec in castris unquam otiosus aut re-

missus, agenda præscripsisti, acta judicasti; momenta rerum apud Te congregans, ex Te dispensans, ad Te revocans; semper animum in arduis magnum, in futuris providum, in dubiis solertem, in eligendo perspicacem, in periculis impavidum ostendens. - Hæc igitur una omnium sententia, in Te, Paternæ Maternæque, toto Orbe laudatissimarum Familiarum, cumulata decora, veluti in unam consummati operis figuram, congregasse summum Principalis Genii Architectum, ut æternæ profapiæ, haberent exemplum singulare & darent, unde vetusta gloriarum insignia, collectim repeti, ac nova in posteros uberrime fascisset dimitti. Enim vero, in tam magnarum rerum cogitatione, jam pridem deficio, tantæque, & res hæcenus gestæ, &, quas TVÆ, POTENTISSIME ELECTOR, indies magis ad sublimia grassantes, fortitudo fortunaq; deinceps quoq; gerent, non hominis indiferti, qualem me esse haud inficior, balbutie ac infantia, contaminandæ sunt, sed, præclaris relinquendæ ingeniis, ut eas perpetuis Fastorum atque Annalium Monumentis conditas, venerationi superstitem æque, ac eorum, qui ullis unquam sæculis nascentur, exponant. Ad Sacrum tamen Scutum TVVM, quod, haud procul a Trophæis, ex Signis, manubiis, armisq; hostilibus constructis, pendere e tholis animadverti, cum horrore & religione accedens, Symbolum ap-  
pinge-

10220( o )10220

pingere ausus sum, vocibus omnino quatuor, multa  
constipans, & in unum commiscens, quæ alii, vix lon-  
ga & verborum oratione, exquisitoque sermonis appa-  
ratu, edifferent. **TV PRINCEPS CLEMENTISSI-**  
**ME**, admittelibens, volens, hoc devotæ mentis inter-  
pretamentum, & concede benignus, ut in Fano,  
honoris tuo dicato, perennet. Ita **Te**, Europæ propi-  
tius **DEVS**, quam diutissime hominum cœtibus inter-  
esse patiatur, &, quicquid suscipies agesq;, porro pro-  
speret ac provehat. Scribebam Altdorfii Norico-  
rum a. d. VI. Februarii A. clō IōCLXXXVII

**CELSITVDINEM ELECTORALEM  
TVAM**

*humillime ac demisse colens,  
suspiciosq;*

**Joh. Christophorus Wagenfeilrus**



# ELENCHVS EXERCITATIONVM.

- I. Commonstrat par Symbolorum Heroicorum , quæ, Galli, Devises, Itali, Imprese vocant, quibus, ad summam perfectionem, nihil valde deest.
- II. Revelat Arcanum Steganographicum, cujus ope, Amici toto Orbe se juncti, omnia animi sensa, plene planeque invicem communicare possunt. Docet amplius, modum parandi Candelam, quæ, Homine aliquo vivo, assidue ardet; illo moriente, defetiscitur, & lumen amittit: Suppeditat insuper, adversus Epilepsiam, Pestem, Hydropem, Febrem, & Podagram præcipue, Vulnere item quæcunque, nullis cognita, nova Remedia. Subjicitur Poëta Hebræus, de tuenda Sanitate.
- III. Recenset Libellum Hebræicum, Milchama Beschalom, sive Historiam, de Semi-Pragenfis Urbis postrema expugnatione, quâ, auspiciis CHRISTINÆ Sueciæ Reginæ, A. C. MDCXLIIX. Comes Joh. Christophorus Konigsmarckius peregit.
- IV. Repræsentat R. Petachiz, qui Seculo Christianorum XII. vixit, Itinerarium.
- V. Ostendit, Albertum Fridlandiæ Ducem, fuisse omnino quondam Academia Aldorfinæ Civem.
- VI. Enarrat elegantem Apologum, quo, docetur, servandam seculo esse Jurisjurandi Religionem. Eum, ex Arabica Lingua, in Sacram Hebræam, convertit R. Abraham, Mosis Filius, Maimonides. Ex MS. nunc primum editur.

*ris laude conspicuis, ter repetita vice, congiaria acciperet amplissima. In Gallia igitur tantis ornatus beneficiis, à Gallia etiam testimonium eruditionis, summos in utroque Jure honores ac privilegia Doctoris, reportare voluit, eademque in Academia AURELLANENSI die Jun. 29. a. 1665. sollenni ritu obiit. Quantumcunque vero apud exteros gratia & fama floieret, subinde tamen ad suam respexit NORIMBERGAM, eoque, anno 1667. mense Martio exeunte, reversus, vix officia sua debito reverentiæ cultu obtulerat Patriæ Patribus, cum ex decreto illorum benignissimo Juris Publici & Historiarum in patria studiorum Universitate professio ipsi committeretur, cui mox d. Aprilis 15. inauguratus est. Anno eodem, die Augusti primo & vicesimo, Sociam tori jungebat sibi nostri matronam nobilissimam, præstantissimisque decoratam virtutibus, MARIAM BARBARAM, FRIDERICI PRAUNII, Censoris Norimbergensis, & Barbara Oelbasie Filiam, JACOBI HEUSSII, mercatoris amplissimi, viduam, ex eaque, ipsis calendis Juniiis anni sequentis. (quo paulo ante in Senatum numerosiorem Reip. Norimb. adscriptus erat) primum suscipiebat filium, FERDINANDUM; qui tamen infans decessit die 16. Augusti, a. 1669. Pensavit jacturam nata hoc anno filia HELENA SIBYLLA, quæ deinceps virgo florentissima, & doctissima sexusq. sui ornamentum a. 1692. d. 11. Octobr. nupsit Viro Nobilissimo atque Excellentiss. DANIELI GUILIELMO MOLLERO, Comiti Palat. Cæs. inque Altdorfina Academia Metaphysices & Historiarum Profess. Publ. & Bibliothecario celeberrimo æque ac meritissimo. Quæ quidem gaudia Hymenæa luctus occupavit ex obitu fratris LAURENTII WAGENSEILII viri generosissimi fortissimique; qui Joh. Christophoro ætate minor, ab infimo militiæ gradu, cum prius sub Electoris Palatini, deinde Cæsaris augustissimi, tum Bavariæ Electoris, & Regis Hispaniarum auspiciis, varie militasset, apud Venetos denique ad Generalis excubiarum Magistri dignitatem adscenderat, in Creta Insula, sub id tempus, feбри ardente correptus occubuit. Amplius anno 1670. lucem adspexit alter filius, cui GABRIELIS nomen parens indidit. Hic absolutis in Universitate patria studiis, & ob insignem Juris utriusque peritiam Licentiati ornatus titulo, nec non variis itineribus cum laude*

*defunctus*, *Memelium Borussæ tandem sedem elegit*, Secretarius Regius & Advocatus Ordinarius ibidem constitutus. Exoptato Vir nobilissimus & consultissimus fruitur matrimonio cum ANNA ELISABETHA, conjugè apprimè nobili, è familia ZEKTIORUM generosa & apud Borussos cum primis florente, oriunda; quæ priori connubio mercatori REGIOMONTANO celebri & spectatissimo, Sandio, sociata vixerat. Fœcundus filii hujus thalamus plurium nepotum felici nativitate Beatum nostrum exhilaravit, quorum duò quidem, filius & filia, ante avum extincti, reliqui vero tres, JOH. CHRISTOPH. DANIEL GUILIELMUS, & HELENA SIBYLLA, Dei virtute sunt superstites. Hoc vero ipsum laudatum Liberorum par, HELENAM SIBYLLAM & GABRIELEM, singulari cura & sollicitudine pater circumspèctissimus educavit: in commodum enim Filii, prout eruditè notum, peram librorum juvenilium conscripsit; & *Filiam*, raro exemplo, *variis linguis, artibus & scientiis* \* tum ipse excoluit, tum aliis magistris excolendam tradidit: quæque etiam ob mirum litterarum politiorum amorem & cultum, celebri apud Italos ac supra memoratæ Academiæ recuperatorum est inserta: & à Clarissimo Viro, MICH. SCHREIBERO, MOLLERÆ *Regiomontane*, tum cognominis tum celebritatis ratione scripto publico comparata. Annus 1673. B. WAGENSEILIO nostro secundam dedit filiam MARIAM SABINAM, sed parum vivacem; quippe quæ post menses quindecim vitam cum morte commutavit. Commutavit eodem tempore noster Historicam cum Orientalium Linguarum professione, auctoritate quidem Minorum Scholarcharum, simulque his benignissime annuentibus, Collegii Academiçi ædes cœpit incolere. Ac ne in eo ornando jam sola patria videretur occupata, anno 1676. *Serenissimus Celsissimusque Princeps* ADOLPHUS JOHANNES Comes Palatinus Rheni, Bi-

pon-

\* Vide IOHANNIS GASPARI EBERTI *Eröffnetes Cabinet des gelehrten Frauenzimmers* 8. 1706. *Francof. & Lips.* pag. 373. ut & C. F. Paulini *Hoch- und Wohl-gelehrte Teutsche Frauen Zimmer* 8. *Erfurth* 1705. pag. 140. & seqq. item *Compendieuses gelehrten Lexicon* 8. *Leipzig* 1715. pag. 2434. *Nota* an diesen Ort ist an statt 1708. 1705. zusetzen, sonst müste B. Wagenseilius nicht 72. sondern 75. Jahr alt worden seyn, aber er wurde bereits 1705. den 15. Octobr. in seine Ruhe-Kammer gebracht.

*pontino - Cleburgica Familia*, CAROLIQUE GUSTAVI Suecorum Regis potentissimi Frater germanus, magnam sobolem, ADOLPHUM JOHANNEM & GUSTAVUM SAMUELEM (e), fidei ejus curæque credidit, ipsum vero WAGENSEILIUM ad Consiliarii splendidissimi dignitatem evehit. Anno 1690. negotiorum quorundam expediendorum causa iter Viennam Austriæ, Imperatoris augusti sedem urbiumque Imperatricem, jam pridem multis nominibus sibi charissimam perspectissimamque, indeque porro in *Hungariam*, suscepit; cujus itineris cursum eventumque omnem, & qua ratione in sacrum conclave, iterata vice, a Divo LEOPOLDO Cæsare optimo maximo quam clementissime admittus (f), ab excelsis item & illustrissimis Comi-

B 2

ti-

(e) *Adolphum Johannem & Gustavum Samuelem* Admodum tenelli erant hi principes Juventutis, cum curæ ac institutioni Wagenseilianæ traderentur. Natus major Adolphus Johannes natus erat d. 13. Aug. A. 1666. & natus minor Gustavus Samuel n. d. 2. Aprilis Anno 1670. Progenus erat eos pater in secundo matrimonio ex Sueca conjugæ, Elisabethæ, Comitissæ Nicolai Brahe filia, & Erici Oxenstiernæ Cancellarii vidua. Cum ex hac academia discederent hi principes Juventutis, singulis Professoribus in perpetuam Serenissimum Hospitium memoriam numisma argenteum maximi moduli distribui curavit Pater Serenissimus, in cujus uno latere visuntur Capita jugata filiorum Adolphi Johannis & Gustavi Samuelis, in altero vero coronæ laureæ inscripta leguntur hæc verba :

VOS PATER ÆNEAS ET AVVNCVLVS EXCITAT HECTOR.

Adolphus Johannes occubuit in bello Livonico d. 22. April. 1701. strenue militans. Gustavus Samuel ad sacra pontificia accessit A. 1696. atque in confirmationis sacramento accepit nomen *Leopoldi*, quod deinceps reliquis constanter adjunxit. Anno 1707. d. 10 Jul. conjugem duxit Principem Dorotheam Palatino-Veldentinam, & d. 6. Jan. 1719. successit Regi Sueciæ ex proxima aguatione in Ducatu Bipontino.

(f) *Clementissime admittus* Angustissimi Imperatoris pulvinaribus sacrum donum tunc intulit *Hydraspidem* suam, sive a se ingeniose excogitatam machinam, quæ adversus extrema pericula aquarum munimentum ac præsidium aptissimum & tutissimumque esset. Occasionem hanc solerter excogitandi ipsi anserum anatumque natus in Nigro amne, inter deambulandum aliquando attente consideratus præbuit, unde cogitare secum coepit, annon fieri possit, ut homines ista quoque animantia natando imitentur, prout pisces hæctenus magistros fuerunt secuti. Ea secum animo trutinando ipsi in memoriam rediit machina ejusmodi a Schwentero in deliciis Physico-mathematicis p. XII. probl. 17. descripta, qua quis instructus, sic in aquis versetur, prout versari anseres ac anates solent. Verum, cum in ejus accurato examine rerum apparatus, qui ad eam parandam requiritur, eam permolestam reddere, cognovisset, insuperque experimentum facere cum ea grave esset, imo quædam in ea occurrerent, quæ illius usum prope reddere impossibilibus, venit postea ei in mentem tenendi, annon a ligno parari machina talis queat hominem in aquis sustentare, & id amplius confidens, ut in natando paria cum anseribus & anatis faciat. Post multas periclitationes exiit tandem *Hydraspidis* lignea & cava pectus cingens hominis naufragi, & imminens suffocationis periculum in eluvionibus effugientis, quo se instar scuti non solum tueri semper potest, sed quæ illi hoc etiam concessit, ut una cum cibariis in aliquot dies sustentur, cum gemmis, pecunia, syngraphis, & ejulante prole

tibus GOTTLIEBIO WINDISCHGRÆZ, CAROLO WALDSTEINIO, OTTONE EHRENR. ABENSPERGIO ac TRAUNIO, aliisque Ministris sanctioris Consilii participibus, perquam clementer exceptus & habitus, nec non a DANIELE NESSELIO, pluribusque viris illustribus & eruditis, comiter ac liberalissime tractatus fuerit, terse plenissimeque illa recensuit Epistola, quam Viro illustrissimo & excellentissimo, PETRO VALCKE-NIERIO, Potentissimorum Foederati Belgii Ordinum ad S. R. I. Comitum Legato, quem Vienna redux ac Ratisbonam transiens salutaverat, typis excusam inscripsit & nuncupavit. Hic

prole enatare queat. Præterea hujus machinæ palmaria bonitas est, quod semel illam vel limis oculis longinquo vidisse sufficiat, ut integra pernoscat, nihil abstrusi & difficilis habeat, nulla arte, prævio perexiguo, parabilis sit, nec de loco in locum portantibus admodum onerosa, ita prorsus consuetudini illius ratio ex natura ipsa arrepta expressaque videtur. Perquam clementer accepit hoc sibi dedicatum inventum, humano generi tam salutare futurum, si successus responderet, sacratissimus Imperator, ac constitit, ipsam parvæ hydraspidis oblatæ experimentum capere, & simpulum aqua imple- re, in eoque fluctus excitare, imperasse. Id cum recte successisset, voluit, ut justæ magnitudinis machina pararetur, & ut in ipso Danubio deponeretur rudimentum speciminis. Præstitum id quoque in loco, ubi fluvijs, ex divergijs suis eluctatus, facit gurgitem, rapidaque celeritate deinde sese pro- volvit, ventis tum impetuose flantibus. Adfuerunt autem Imperatoris ministri primarii tres, quorum unus Comes Abenspergius & Traunius S. C. M. Consiliarius intimus, & Austriæ inferioris supremus Marschallus, nec non plebis magna frequentia confluit ex cupidine inusitata noscendi. Viderunt omnes homini eo seuto armato nullum ab aquis esse periculum, quancuncque etiam impetu ferantur. Sed cum hic vellet ex una ripa in oppositam, aut contra flumen contendere, difficultatem experiebatur, quoniam etiam parvus amnis ægerrime remis superatur adversus, ut mirum nullum sit, si unus homo, solum pedum remigijs utens, in ea se labores. His ita peractis, postridie, rursus ad Imperatorem admissus, ei pluribus verbis exposuit, quid actum esset, qui eum deinde quam clemen- tissime dimisit. Comes Abenspergius postea ei declaravit, machinam hanc aquaticam acceptam fuisse Augustissimo Imperatori, atque si quem honorem ambiret, si quod privilegium, si gratiæ Cæsaræ testimonium aliud, se deprecator uteretur. Sed Wagenseilius benignitati illius gratias agens, se sua sorte contentum vivere, reposuit, nec in civili republica dignitates unquam affectasse; sufficere sibi, si in literaria, ejus civis sit, aliquo loco deprehendatur. Cum de hoc invento Wagenseiliano fama percubisset, avide omnes ejus videndi desiderio capiebantur: ubi publici juris illud factum est, non defuerunt qui hoc elearent, & ea illi desse quererentur, quæ nec autor pollicius erat, quæ- que sunt ex τῶν ἀδυνάτων. Ipse non dissimulavit, Aquilegem Cæsaræum, virum usu artis suæ conspiciuum, qui jussu ad fuit, cum hydraspidis experimentum Viennæ ederet, judicasse, simplicitatem machinæ habere quid inelegans, ob imæ partis rotundam æqualitatem, convexam fieri potuisse, ne illud quodammodo genus referret, quod Italij una Scatola dicitur, verum cætera probasse. Publice quoque explorare dignatus est, quid in recessu habeat Hydraspidis, Episcopus & Princeps Patavien- sis, eo in Danubii loco, qui ob Oeni & Illisi amnium se exonerantium impetum, pro Seylla aut Cha- ribdi habetur, & ea principis expectationi ex asse satisfecit. Fecit amplius in Tigrino lacu Hydras- pidis periculum Petrus Valkenburgius, legatus Batavus, & testatus est, negotium successisse, ex sententia,

Hic ipse VALCKENIERIVS, post elapsam triennium, apud *Helvetios*, eorundem præpotentum foederati Belgii Ordinum Legatus, nomine illustrium *Academiæ Lugdunensis* Curatorum, laudis conditionibus Beato obtulit provinciam linguas orientales in eadem publice docendi; utque inclytum illud politionis eruditionis domicilium honore nominis sui amplius nobilitaret, præsentiaque decoraret, invitavit. Sed amorem Aلدorfinæ suæ WAGENSEILIUS illi Batavorum Minervæ prætulit, & Attalicis conditionibus animum sorte sua contentum. Quem in patriam affectum & merita viri, æqua prudentiæ lance ponderans *Illustre Scholarcharum Norimb.* Collegium A. 1697. reliqua ejus munera munere insuper doctoris Juris Canonici auxit, eumque membrum ordinarium Jctorum Ordinis rite constituit; cujus Decanatum, ab eo tempore, ὁ μακαρίτης bis administravit. Post beatam GEORG. MATTHIÆ KOENIGII mortem, præfecturam Bibliothecæ Academicæ in se suscepit; quo tamen munere, anno insequente, ob ingravescentem ætatem, & incommoda alia, se abdicavit. Quæ cura deinceps a Generosissimis Universitatis Curatoribus, genero ipsius amplissimo, Profess. MOLLERO, benevole est demandata. Fasces Athenæi bis gessit, ejusque dignitati pariter atque utilitati studiose diligenterque consuluit. Nec facile dictu est, quanta dexteritate, fide, famæque celebritati, enumerata hucusque munia sua gesserit ornaveritque. Erat enim ipsi à natura ingenium acre, judicium sagax, methodus in docendo facilis & expedita, perspicuitas admiranda, expressa quidem in loquendo, sed decora cunctatio, dictio tersa & elegans, cæteræque animi dotes supra vulgarem eruditorum sortem. Quam callens fuit & privati juris & publici? quot linguarum orientalium æque ac exoticarum peritus? quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenuit? Nihil erat, quod discere velles, quod ille docere non posset: plurimis certe, quoties vel ore, vel litteris aliquid abditum quærebant, ille thesaurus erat, ac proinde singulare pariter Academiæ Aلدorfinæ ornamentum, cujus nomine gloriaque commoti non

pauci ad visendum atque audiendum WAGENSEILIUM è remotissimis advenerunt locis ; & quos ad cultum amoremque sui Athenæ non traxerant, unius hominis fama perduxit. Prætereo morum in eo elegantiam & mire officiosam civilitatem, cum qua congruebat gravitas, & utrique tranquilla cum collegis aliisque concordia, ac vitæ integritas, respondebat. Erga Deum & sacra fervens ipsi amor fuit ac reverentia, eaque cum exquisitissima rerum divinarum intelligentia, apprime consentiens, prompta etiam ingenos & alios bene merentes liberalitas (g), incredibile studium & summa vigilantia. Erat profecto somni parcissimi, nec diebus solum, sed & noctibus utebatur ad edendos tot præclaros ingenii sui foetus, ac monumenta insignia, quibus eruditorum orbem locupletavit, & quorum catalogum postea exhibebimus. Cæterum vero conjuge priore nobilissima, *Maria Barbara*, singulari patientiæ & candoris exemplari, A. 1701. mense Aprili, pie demortua ; eodem anno vergente, sibi despondendam curavit Matronam honoratissimam lectissimamque, *Susannam Barbaram*, Reverendi admodum Clarissimique viri, GEORG. CHRISTOPHORI LANGII, *Diaconi quondam ad S. Sebaldi Norimbergæ præclare meriti*, relictam viduam, natam *Læschberiam* ; quæ fida quoque tori socia maritum fovit enixe, hujusque senectutem, variis casibus morbisque inquietatam, quotidianis officiis, moribusque commodis, tranquilliorē reddidit. Præterquam enim

(g) *Et alios bene merentes liberalitas*) Sodalitatem Magistrorum in cantilenis Norimbergensium, die *Meister-Singer* / donavit B. Wagenseilius insigni torque argentea, cui annexum missina argenteum & deauratum, in cuius antica facie sequentia leguntur verba:

IOH. CHRISTOPHORVS  
WAGENSEILIVS  
HAC CATENA  
SIBI SVÆQVE MEMORIÆ  
DEVINCIVIT  
NORIMBERGENSES PHONASCOS  
clb lbc xcvi

In poetica vero occurrit Virgilianum illud:

POLLIO  
AMAT VESTRAM  
QVAMVIS SIT RVSTICA  
MVSAM.



nim quod sub initium anni 1698. die festo Epiphaniæ, cum paulum extra oppidum prodeambularet, fallente per glaciem vestigio, dextrum pedem ita læsit, ut laxatis in genu sinistro tendinibus, luxataque deorsum patella, postea ascensus per acclivia, & per declivia descensus, difficilior ipsi evaderet, toto fere conjugii posterioris quadriennio cum acerrimis stranguriæ & ischuriæ doloribus confixatus est. Quibus leniendis ac depellendis, Medicorum excellentissimorum, D. D. BRUNONIS, HOFFMANNI, APINI, & BAJERI, Collegarum suorum, operæ, consilia, medicamina, bono quandoque successu adhibita sunt, natura videlicet & arte malo prævalentibus. Tandem vero per hebdomadas quinque novissimas lecto affixus, ac doloribus pristinis, tenesmo præcipue continuo, laborans, solius experientissimi D. BAJERI salutaribus usus est consiliis; quibus sociabantur non Uxoris solum laudatissimæ, cura, vigiliæ, & ministeria fidelissima, sed & Filiæ nobilissimæ, MOLLERIÆ, assidua pietatis officia, auxilia, pia colloquia, preces ac vota ad DEUM ardentè fusa, quæ multa quidem acutissimis, & prout æger ipse identidem appellare solebat, atrocibus doloribus, subinde refrigerationem attulerunt, spe tamen firmæ recuperandæ sanitatis decollante. Etenim omnia sensim in pejus ruere, accedentibus frequentiore vomitu, insomnia, & acriorum defluxionum vehementia; indeque corpus paulatim languescere, totque ac tantis malis succumbere. Itaque relictis omnibus, Beatus solis meditationibus colloquiisque sacris continuis item precibus ac decantandis hymnis intentus, MARTINI MOLLERI potissimum librum de Arte moriendi, a capite ad calcem, sibi prælegi, sacraque cœna, illo immortalitatis viatico, se munire curavit, ministrantè Theologo religiosissimo B. D. WEGLEITERO. Conjugi dein supremum dixit vale, Filiæque & Genero, repetitis vicibus, paternam benedictionem impertivit, cœlestem remunerationem, pro officiis sibi præstitis apprecatus. Ipso die emortuali, qui erat d. 9. Octobr. anno 1705. B. D. SONTAGIVS ante meridiem, ægrum, stadium mortis jam ingressum

saluberrimis animavit alloquiis; post secundam vero meridianam ejusdem diei, admodum Venerabilis D. LANGIUS, *nunc Prens-la-viensis Superintendens*, privignus, qui decumbentem antea sæpius visitaverat, nunc vero, sensibus & loquela deficientibus, ipsi benedixit, animamque corpore egressuram DEO commendavit; quæ manibus etiam Creatoris, unde venerat, in præsentia nobilissimarum charitatum, Conjugis, Filiae, Generi, placidissime tandem est reddita; postquam pie defunctus annum ætatis ageret septuagesimum secundum, muneris vero professorii octavum & trigessimum. Sepultus fuit maxime honorifica funeris pompa in porticu cœmeterii Altorfini suburbani eo in loco, quem vivus sibi elegerat & apte præparaverat, ubi etiam hoc ejus Epitaphium in ære parieti affixo legitur: (h)

JOH. CHRISTOPHORI WAGENSEILII, JURIS VTRIVSQVE DOCTORIS ET IN HAC ACADEMIA PVBLCI ET CANONICI JURIS NEC NON LINGVARVM ORIENTALIVM PROFESSORIS EXVVIÆ HIC SITÆ SVNT JESV CHRISTI SERVATORIS IN DECRETORIO DIE CVM BEATA ANIMA CONJUNCTIONEM EXPECTANTES. VIXIT ANNOS LXXII, EXCESSIT E VITA ANNO MDCCV.

Mortuum in funere Germanica oratione laudavit M. POLYCARPVVS MULLERVS; postea vero, in solenni panegyri beati viri laudes memoriamque latino sermone, restauravit, & posteritati commendavit D. LANGIVS Theologus, privignus.

Possedit Bibliothecam multis iisque egregiis libris instructissimam, & imprimis gaza manuscriptorum codicum Rabbinicorum, Græcorum, Latinorum, Germanicorum, Hispanicorum &c. a se in itineribus collecta superbientem; quam vivus adhuc paulo ante mortem magna pecunia coemit SENATVS LIPSIENSIS. Libri vero Rabbinici impressi, sed magno studio & summo selectu a B. Viro comparati, post ejus mortem, digno pretio hæredibus persoluto ab UNIVERSITATE ALTORFINA, *transferunt in Bibliothecam Academicam*. Museum variis rebus naturalibus & artefactis refertum.

(h) vid. Excell. Dn. Dr. JO. JAC. BAIERI *Ausführliche Nachricht von der Kaiserl. Altendorff pag. 111. 4 Nürnberg 1717.*

refertum, quod B. WAGENSEILIVS Bibliothecæ adjunxerat, ipse vendidit Patrono VALKENIERTO, cujus supra facta mentio. Numophylacium vero penes hæredes adhuc servatur. Symbolo usus fuit funibus complicatis, adscriptio elogio ex Psalm. XVI. 6.

חכלים נכלו לי בנימי

PVNES CECIDERVNT MIHI IN PRÆCLARIS.

Finio hæc vitæ WAGENSEILIANÆ commemorationem efato C. Plinii Lib. VI. epist. 10. *Beatos puto, quibus DEI munere datum est, aut facere scribenda, aut scribere legenda, beatissimos vero quibus utrumque.*

C A T A L O G V S  
OPERVM VARIORVM

B. D. JOH. CHRISTOPH.  
WAGENSEILII,  
editorum & ἀνακτόρων.

I. LIBRI editi in Fol.

- 1) In Laudem Almaz Venetæ Reipublicæ Bona Verba. Ao. 1693.
- 2) Carmina Hebræum ANTONIÆ PRINCIPIS WÜRTEMBERGENSIS ET TECENSI Sacrum.
- 3) Denunciatio Christiana, oder Christliche Averkündigung an alle Hohe Regenten und Obrigkeit, welche Juden unter ihrer Botmäßigkeit haben, vrogen

der Lästungen, womit die Juden unsern Heiland JESVM CHRISTVM sonder Aufhören freventlich schmähen Anno 1703. Recusa Ao. 1707. in 4to inter Opuscula Germanica cum tit. Erlösung Israelis, post obitum edita; una cum vindiciis ad calcem dictorum Opusculorum.

In Quart. I. Tractatus.

1) Sota, h. e. Liber Mischnicus de Uxo-

- re Adulterii suspecta. Altd. 1674
- 2) Tela Ignea Satanæ, h. e. Arcani & horribiles Judæorum adversus Christum Deum, & Christianam Religionem Libri a venditoris, ex Europæ Africæque latebris eruti, & in lucem protrusi, &c. Ibidem 1681
- 3) Exercitationes VI. varii argumenti Ib. 1687. Editio secunda Norimbergæ & Altorffii Ao. 1719. Cum Vita & Configuratione Scriptorum Autoris, cura FRIDERICI ROTH-SCHOLTZI Siles. (1)
- 4) Commentatio de S. Rom. Imperii Libera Civitate Noribergensi. Addito Tractatu de Germaniæ Phonsacorum (von der Meister-Singer) Origine, Præstantia, Utilitate & Institutis, sermone vernaculo. Ibid. Ao. 1697
- 5) Belehrung der Jüdisch-Teutschen Red- und Schreib. Art, durch welche alle, so des wahren teutschen Lesens kundig, für sich selbst innerhalb vvenig Stunden, zu sothauer Wissenschaft gelangen können &c. Vuter andern Büchern
- 6) Von Erziehung eines jungen Printzen, der vor allen Studien ein Abscheu hat, daß er dennoch gelehrt und geschickt werde, auf Röm. Kayserl. Majest. allergnädigsten Befehl entworfen, und Deroselben Allerunterthänigst gevvidmet. Es werden Gedancken beygefüget, vvelcher Gestalt, ein jeder Mensch zu einer seiner Geschlecht, Alter und Lebens-Beschaffenheit vvol anständigen Wissenschaft in Geißt. und Weltl. Sachen leicht anzuführen Leipzig Ao. 1705
- 7) Hoffnung der Erlösung Israels &c. Lips. A. 1705 in 8 Deinde recusa & correctio edita, aliisque octo (a) opusculis adaucta. Altdorf. Ao. 1707, in 4.

## II. Differ-

(i) Ad Exercitationem Quartam, que RAB. PETACHIAE itinerarium exhibet, ejusq. pag. 175. scripta est editaque Dissert. de ERV DIT A VIRGINE JVDÆA per transennam decens, cum Comment. ad Zach. V. v. 7. seqq. Auctore Ex. DN. GVST. GEORGIO ZELTNERO. 3 Theat. D. P. P. et P. Altorffino. Quæ prædit Ao. 1717. a. d. XXIII. Aprilis.

(a) I. Wie mit einem Juden in ohngefehr entstandener Unterredung umzugehen, damit bey ihm ein Zweifel wegen der Wahrheit seines Glaubens-Lehré erwecket werde. II. Wiederlegung der Unwarheit, daß die Juden zu ihrer Bedürfniffz Christen - Blar haben müssen. III. Anzeigung, wie es gar leicht zu bewerkstelligen, daß die Juden forthin zbstehen müssen, die Christen mit Wuchern und Schänden um ihr Vermögen zu bringen. IV. Was es mit dem so übel beruffenen Jüdischen Gebet OLENU, welches an einigen Orten ferner zu gebrauchen verwehret wird, für eine eigentliche Bewandnushabe. V. Denunciatio Christiana, Ankündigung an alle Christliche Regenten und Obrigkeiten, welche Juden unter ihrer Botmäßigkeit haben, wegen der Lasterungen, damit sie JESUM CHRISTUM, den Sohn Gottes lebenzen. VI. Freundliche Erinnerungen über die Christliche Vorstellung, welche der Denunciationi Christianæ von JEMAND entgegen gesetzt worden. VII. Ankündigung an alle Christliche Regenten und Obrigkeiten, welche Juden unter ihrer Botmäßigkeit ha-



# VITA

B. DN. D. JOHANNIS CHRISTOPHORI  
WAGENSEILII &c. &c.



Um ad Trasimenum lacum Romanis olim  
vis HANNIBALIS ingens infixisset vulnus , progres-  
sus in rostra prætor, pugna, inquit, magna victi su-  
mus ! Simili pæne exclamandi dolendiquè formu-  
la utendum erat Academiæ Altdorfinæ, quando ex  
tabula exequias JOHANNIS CHRISTOPHORI WAGENSEILII, viri πολυ-  
μαθεστάτη, longeque celebratissimi, indicere imperabat tunc tem-  
poris officii & mortalitatis conditio. Magnam enim cladem pas-  
sa erat, magnum & grave vulnus accipiebat ! magnum virum  
amisit ! Amisit autem præclarum Jctum, oratorem excellentem,  
πολύγλωσσον, & Polyhistorem plane eximium ; cujus sublime in-  
genium, limatum judicium, incredibilis memoria sensusque re-  
conditi, summa item dicendi copia, scripta cædro digna, passim  
celebrantur à doctis & intelligentibus ; nec trans mare ignoran-  
tur. Ac proinde non solum Academiam Altdorffinam & Ger-  
maniam, sed universum pæne orbem litteratum jacturam in eo  
fecisse maximam, sentient mecum homines in *Britannia*, *Suecia*,  
*Belgio*, *Italia* & *Gallia*, ætatis nostræ doctissimi, idque in con-  
gressibus suis, museis & societatibus, ore uno confitebuntur.

Natalem ille locum sortitus est inclytam Norimbergam; ubi die 26. Novembr. anni supra millesimum & sexcentefimum trigefimi tertii, editus est parentibus pietate, prudentia & dignitate, egregiis, GEORGIO CHRISTOPHORO WAGENSELLIO, mercatore integerrimo, & SABINA, CASPARIS NUREMBERGERI filia, præclaris virtutibus ornatissima. Quorum cura cum B. p. tismi sacris mox initiaretur, sponsoris in se partes recepit, JOHANNES CHRISTOPHORUS MÜLLERUS, *Illustris Reip. Norimb. Primicerius longe meritissimus*. Sed parum tranquilla nostro obtigerunt cunabula, quippe migrantes a. 1634. Holmiam Suecorum parentes ipsum, paucorum mensium infantem, una cum familia reliqua, eo deportarunt; ubi & primam pueritiam exegit, & studiorum posuit tirocinia, sub domestico imprimis præceptore JACOBO BRETSPRECHERO. Huic a. 1645. in patriam Pomeraniam redeunti comes datus & disciplinæ alumnus *Gryphiswaldiam* adiit, ac deinde *Rostochium*. Sequentem tamen anno, reduci è Suecia patenti *Lubece* redditus, NORIMBERGAM & ipse reducitur. Jam tum eos in literis progressus fecerat noster, ut locum mereretur in prima Gymnasii Norimb. Classe, cui JOHANNES RIEDNERUS tunc præerat, vir ea doctrina, quæ spartam ejusmodi decet, obstatque, præcellenter instructus. Quare, vix triennio interposito, mathematicæ academiam judicatus JOHANNES CHRISTOPHORUS, elegit ALTDORFINAM anno 1649. in eaque per lustrum integrum studia continuavit, generosissimis Universitatis Curatoribus, primo mense communis, ac paulo post plenum, quò alumni fruuntur, beneficium laudabili munificentia in ipsum conferentibus. Doctoribus imprimis usus est RUPERTO, HACKSPANIO, LUDWELLO, & GEORG. KOENIGIO, viris beatis ac laudè nostra majoribus. Est hoc virtutis, BARCLAIO judice, maximum præmium, quod latere suos non finit. Itaque mirum videri non debet, quod magno theatro spectata WAGENSELLII virtus ipsum admodum juvenem summis proceribus jam commendaverit. *Annus agebatur 1654. cum illustrissimus Heros EHRENRICUS S. R. I. COMES AB ABENSPERG ET TRAUN, Altdorfio eum evocaret, ad formandos mores regendaque studia filiorum, OTTONIS EHRENRICI & ERNESTI JULI; quorum ille post-*

modum inferioris Austriae Mareschallus & Sanctioris Consilii Caesarei Senator, hic Caesareanorum militum tribunus evasit. Accesserunt illis a. 1657. & in beati nostri curam partemque laborum venerunt, RUDOLPHUS WILHELMUS DOMINUS DE STUBENBERG, patre genitus JOHANNE WILHELMO, eruditione non minus, quam splendore natalium, inclitissimo, (quippe cujus nomen inter excellentiora Frugiferae Societatis Teutonicae membra celebratur) nec non AUGUSTUS S. R. I. COMES DE HARTECK, *Philippi Comitis Illustrissimi Filius*. Inter ista negotia annus appetebat seculi prioris nonus & quinquagesimus, TRAUNIO Comiti seniori fatalis; quare noster provincia, quam adhuc ornaverat, decedens, *Heidelbergam* primum, mox *Argentoratum*, adducto secum HARTECKIO Comite *Augusto profectus est*. Ibi cum per modicum tempus substitisset, expetere coepit operam ejus *Illustrissimus atque Excellentissimus S. R. I. COMES AB ABENSPERG & TRAUN, Ernestus, Ebrenci praedicti frater, S. Caesareae Majestatis Consiliarius intimus, & inferioris Austriae Mareschallus*; ac repetita invitatione effecit, ut anno 1661. Filium FERDINANDUM ERNESTUM exoticas per regiones comitaturus *Argentorato* abiret. Totum fere sexennium peregrinatio ista abstulit, intra quod universam *Italiam, (a) Galliam, Hispaniam,*

a 3

niam,

(a) *universam Italiam* Taurini tunc bono, fato invenit B. Wagenseilius in Cimelarchio Ducis Sabaudiae Tabulam Isiacam, admirandum illud veteris sapientiae Aegyptiacae monumentum, & omnium, quae supersunt, eruditae antiquitatis vetustissimum cimelium, quam olim Petrus Bembus, Cardinalis, vel ex Pauli III. Pontificis maximi munere acceperat, vel, uti alii tradunt, e manibus fabri cujusdam ferrarii, qui illam in Borbonia Urbis Romae direptione comparaverat, pretio extortam, aliquandiu possederat, & quae eo mortuo Duci Mantuae cesserat. Asservata quoque fuerat Mantuae inter illustria Pinacothecae Ducalis decora usque ad annum 1630. quo in miserranda Mantuanae urbis expilatione ita evanuit, ut, tametsi summo studio institum sit, ut sciretur, quid tandem de ea factum sit, in eum usque diem tamen nemini explorare licuisset. Cum vero Wagenseilius perlustrasset in palatio Taurinensi cimelia, inter alia tandem ei feliciter obvenerit haecenus tam anxie quaesita Tabula illa Isiacae, ab Archiatro Christinae Viduae Victoris Amadei, ex ferramentis neglectis, inter quae abjecta diu latuerat, protracta, & in digniorem locum reposita. Aerea enim tota est, & tenuibus argenti bracteis passim praesertim in figuris insculptis obducta. Hunc thesaurum diu occultatum postea erudito orbi manifestavit primus Wagenseilius, eumque hoc nuntio ex ingenii luctu ob hanc facturam contracto minime rececit.



niam, (b) *Belgium, Angliam, & Germaniam* Illustrissimus Comes insigni cum utilitate perlustravit, WAGENSEILIO ductore & studiorum præfecto, qui consulendo atque erudiendo eidem adesset, ac imprimis juvaret in meritis hominum & rebus, quæ uspiam locorum se offerrent, notabilibus cognoscendis. Quod & strenue præstitit ὁ μακροβίτης, atque, occasione sic ferente, è *Gadibus Hispanie* in oppositum quoque *Africe* litus trajecit. (c) Ac præter alios, hic etiam mansit fructus itineris defuncto, ut illustrium & clarissimorum per tot gentes ac regna virorum benevolentiam & amorem sibi conciliaret, illorum ope reconditos Bibliothecarum thesauros spectaret, denique fundamentum jaceret literarii illius commercii, quod cum præcipuis *Europæ* luminibus creberrimum ipsi postea intercessit. Factum inde est, ut *Taurinenses in Italia* eruditi eundem in *Academiam Incultorum, & Patavini in Recuperatorum societatem* sponte sua reciperent In prima suæ felicitatis parte solebat ponere amicitiam summi viri, JOHANNIS CAPELLANI, cui *Lutetie* degens innotuerat. (d) Per eum enim, supra spem & expectationem, commendatus JOH. BAPTISTÆ COLBERTO, LUDOVICI XIV. *Galliarum Regis supremo status Ministro, tam expeditum ad clementiam & munificentiam Regis invenit aditum, ut juxta cum viris aliis doctrinæ melio-*

ris

(b) *Hispaniam*) Pampelonæ magnum subiit periculum B. Wagenzeilius; Cum enim investigares locum, quo Ignatius de Loyola in hujus castri propugnations, contra Gallos obfidentes in utraque tibia vulneratus fuerat, ac cum illum invenisset, elogium istius viri in memoria hujus rei ibidem in lapide inscriptum, in pugillares describeret, a militibus præfidiariis impostis veluti explorator Gallicus, qui munimenta urbis designaret, abreptus, atque ad Urbis præfectum ductus fuit, qui tamen causa cognita, & origine Germanica patefacta eum incolumem dimisit,

(c) *Africa litus trajecit*) Septemque pervenit; qui fuit longæ suæ per universum sexennium felicisque cum Traunio & Abenspergio Comite, per Europam peregrinationis terminus supremus. Quamobrem Samuelis prophetae pietatem imitatus, ibi Lapidi inscripsit:

עַד חַנּוּךְ עוֹרְנוּ יְרוּחוּ

i. e. HUC USQUE AUXILIATUS EST NOBIS DOMINUS.

(d) *Lutetia degens innotuerat*) Qua ratione sibi illustrem Capellanum conciliaverit, quales sermones cum eo fecerit, & quomodo ab illo primario Regis Galliarum ministro B. Baptistæ Colberto commendatus deinde fuerit; ipse B. Wagenzeilius uberrime exposuit in dedicatione suæ Sotæ, quem librum Mischnicum a se in Latinam Linguam transductum & commentario egregio illustratum ingrati animi pignus Anno 1673, illustri Capellano inscripsit atque obtulit.

## II. Dissertationes Academicæ, Epistolicz, Orationes, & Programmata.

- 1) de Pontificis Romani Electione, A. 1668
- 2) de Repressaliis Ao. 1671
- 3) de Conventibus Deputationum A. 1672
- 4) de Præcognitis Juris Publici. Ao. 1672
- 5) de Divisione Imperii Germanici in Quarteriones & Circulos Ao. 1672
- 6) de Imperii Archivo, Aurea bulla & Lipsanis Imperii Ao. 1673
- 7) de Imperii Matricula Ao. 1673
- 8) de Titulis Imperatoris ejusque Insignibus, Ao. 1674
- 9) Catalogus Imperatorum Francicorum, Anno 1675
- 10) Catalogus Imperatorum, qui post Francicos, ad Interregnum usque, Imperio Germanico præfuerunt. A. 1675
- 11) de Loco Classico Gen. 49.10 A. 1676
- 12) de Loco Classico Es. 7 14. A. 1678
- 13) de Rescriptis Moratoriis. Ao. 1681
- 14) Positiones ex Jure Naturali; Gentium, Civili, Canonico, Feudali, Criminali, Publico, Historia & Politicis Ao. 1681
- 15) de Romanis Pontificibus ex Germanorum Gente creatis. A. 1683.
- 16) de Jure Venandi. A. 1684
- 17) de Portuum & Vestigalium Jure A. 1685
- 18) de Charactere primævo Bibliorum Ebraicorum, auctore Respondente, Joh. Mich. Laagio. Ao. 1685
- 19) de Comitibus Universalibus Sacr. Rom. Germ. Imperii A. 1686.
- 20) de Sacr. Rom. Imper. Summis Officialibus & eorundem Subofficialibus Anno 1686
- 21) de Abbatissis. Ao. 1687.
- 22) de Jure Ordinum Protestantium Imperii Rom. Germ. A. 1688.
- 23) des Principes du Blason ou l' Art Heraldique Ao. 1690 Editio Secunda, Ao. 1719
- 24) de Jure legum ferendarum A. 1690.
- 25) Politica Practica exhibens Rationis Status & Statistar. &c. Ao. 1691
- 26) de Lingua Authentica Anno 1691
- 27) de Jure Fœderum in Imperio Roman. Germ. Ao. 1691.
- 28) de Rege Romanorum, Ao. 1691
- 29) de Re Monetali Veterum Romanorum, Anno 1691
- 30) de Academiis. Anno 1692
- 31) de Civitatibus Imperii Liberis. A. 1693
- 32) de Jure Imperatoris circa conferendas Dignitates. Ao. 1694
- 33) Theses Miscellaneæ Confusaneæque, Anno 1694
- 34) de Literis Moratoriis. Anno 1695
- 35) de Imperiali Banno Anno 1696
- 36) de Corpore vitiatæ Ordinandis, vel non Anno 1697
- 37) de Jure Aggratiandi. A. 1698
- 38) de Vestigalibus. Ao. 1699
- 39) de Anno Jubileo. A. 1700
- 40) de eo, quod secundum Legem divinam e terræ proventu pauperibus debetur. Ao. 1700
- 41) de Jure Fœderum. Ao. 1701
- 42) de Nobilitate. Anno 1702
- 43) de Venatione & Forestæ Jure. A. 1703
- 44) de Nundinarum Jure. Ao. 1704
- 45) de

ben, wegen des Eingriffs, so die Juden in ihre Höfen, Regalien, und Jurisdiction zu thun sich unter-  
 sehen. VIII. Ein Bedencken über die Frage: Ob ein guter Christ, mit unverletzten Gewissen, einem Ju-  
 den, an seinem Schabbas eine Handreichung thun möge. Zur Zugabe wird beygelaget: Ein Beden-  
 cken über die Frage: Ob ein guter Christ, mit unverletzten Gewissen, seines verstorbenen Weibes Schwe-  
 ster, oder deren Schwester Tochter heyrathen dürffe,

- 45) de Judais. 1705  
 46) Oratio super Verba L. Junii Bruti Altdorf. 1653  
 47) Sacra Parentalia Georg. Frid. Behaimi Senatoris Norimbergensis & Scholarchæ immortaliter meriti. ibid. 1682  
 48) Dissertatio Epistolica de sifundibili sui occasione, consilio & instituta. ibid. 1693  
 49) de Hydrapide sua. ibid. 1690  
 50) Wasser Schild. ibid. 1690  
 51) Epistola ad Georg. Reichart. Hammerum. ibid. 1689  
 52) Programma Cupidæ Sacrorum Cañonum Juventutis dicatum. ibid. 1697. Recul. in *Hamaxoschænomnava* sive Memoria Wagenfeilii. fol.

## In Octav.

- 1) *Pera Libror. Juvenil. quæ ingenuos viamque ad eruditionem & bonam mentem affectantes Adolescentes donat &c. No rimb. 1695*  
 2) *Der Adriatische Löw, das ist, kurtze Anzeigung von des Durchleuchtigen Venerianischen Adels gesämter Geschlechter Ursprung, Aufnahm, vwie auch derer angeborenen Stamm-Wappen, Altdorf. 1704 cum figuris æri incis.*  
 3) *Mose Rabbi Stendels nach Jüdisch-teutscher Red. Art vorlängst in Reimen gebrächte Psalmen Davids, vvelche, dem ibren nahen Vntergang aus vvichtigen*

*und in der Vvorte entbaltene Vvachen entrissen worden. Leipzig. 1705*

- 4) *Benachrichtigungen wegen einiger der Judenschaft angehenden vvichtigen Sachen. Erster Theil 1) die Hoffnung der Erlöung Israels &c. 2) Widerlegung der Vvovarbeit, daß die Jüden zu ibrer Bedürftis Christen Blut haben müssen. 3) Anzeigung vwie leicht es dahin zu bringen, daß die Juden forthin abstehen müssen, die Christen mit Wuchern und Schinden zu plagen. Leipzig 1705*  
 5) *Hadriam Valesii Histor. Regii & Johann. Christoph. Wagenfeilii de Cena Trimalcionis nuper sub Petronii nomine vulgata Dissertationes. Lutetiz Parisior. Anno 1666. in 8*

## II. Opera auctore.

Inter *avendore* eminet opus Germanicum, *der gantze Jüdische Talmud in teutsche Sprachübersetzt*; quod in hæredum manibus est, ut &

Massehet Purim.

Plura recensuit Celeberr. Dn. LIC. MEELFUHRERUS in suis *ad Viri Insignis Almelo vee-nii Bibliothecam Promissam & Latentem Accessionibus*, pag. 149. seqq. Quorum quædam interim, lucem publicam viderunt; reliqua vero a Nobilissimis hæredibus interdèperdita, saltè hacenus ab ipsis non re-  
 perta, referuntur.



## EXERCITATIO PRIMA.

COMMONSTRANS PAR SYMBOLORVM  
HEROICORVM, QUÆ GALLI DEVICES, ITALI  
IMPRESE VOCANT, QUIBVS AD SVMMAM  
PERFECTIONEM, NIHIL VALDE  
DEEST.

**N**Vper negotiorum expediundorum causa Nori-  
bergæ agebam, cumque præcipiti jam die aliquid  
otii nactus, more meo & amore, ad veterem ibi &  
cognitionis necessitudine mihi junctum Amicum,  
JOH. LEONHARTVM STOBERLINVM, inge-  
nua virtute, elegantique doctrina spectabilem Vi-  
rum viserem, offendi eum lectioni Libri cujusdam ita intentum,  
ut ingressum meum in Museum minime animadverteret. Ergo,  
postquam intra silentiũ me aliquantisper continuissem, mox, Sal-  
ve, inqueiebam, o Noster, ut vales, & quid sibi vult ista tam pertinax  
in legendo intentio? necesse est liber non contemnendus sit, cui  
expendendo ita totum te addixisti. Ille, ad me respiciens, sis pa-  
riter salvus Amice, respondebat, quid tu Noribergam insolens?  
Exponebam breviter itineris mei causas, & porro instabam, ut me  
in vicem participem eorum redderet, quæ lectitasset. Tum is,

forte fortuna, inquit, ad me delatus est liber præstabilis, qui titulum præfert, *La Devise du Roy justifiée par le P. Menestrier de la Compagnie de Jesus*: ejus lectio mire me capit, ita refertus est rebus, Symbolisque imprimis elegantissimis, in quibus summum nostrum ævum ingenia acumen suum exercuerit; & anne, tibi cognita habetur hæc commentatio? Vtique, subjiciebam ego, lectus mihi is liber est, & quidem cum cura; nec dissimulo, me, uti ex aliis Viri egregiis in Arte Heraldica scriptis, ita ex hoc pariter, multa, quæ prius ignoraveram didicisse, quamvis si profiteri licet, quod sentio, in eo cuius gratia præfens iste liber scriptus est, mihi ne utiquam admodum satisfecerit. Ibi Amicus meus, pæne stomachabundus, confidere me jubet, & argumentis ostendere, non satis superque Autorem functum esse officio. Cum ambo in sedibus quieti nos dedissemus, sermonem coeptum persequitur Amicus, aitque: Id propositum habuit Autor, ut Symbolum Heroicum, quo Clarissimus Douurier LVDOVICI XIV. Maximi Galliarum Regis Scutum exornandum censuit, cujusque, ceu loquuntur Corpus, Globus hujus universi, & Solis superne illum illustrantis figuræ, Lemma vero, verba, *NEC PLVRIBVS IMPAR* absolvunt, adversus geminam censuram vindicaret. Earum una fuit, quod quidam ausi sunt asseverare, eodem hoc Symbolo, jam pridem usum esse Philippum II. Hispaniarum Regem, huic ergo ut auferatur, & ad Regem Galliarum accommodetur, habito ad Philippum respectu, fas & æquum, Ludovicum autem si cogitemus, decorem, vehementer prohibere. Jam, alia Censura in hoc Symbolum nonnulli animadverterunt, quasi non impleat omni ex parte mensuras & leges Symbolorum Heroicorum. Prima objectatio cum rem quæ facta esse dicitur, involvat, ejus probatio unice Assertoribus incumbit, in qua cum deficient, odio digni sunt, quod frustra obloquuntur, monendique, ut linguam futilem condant. Porro, ex Artis Symbolicæ Magistris, quorum plenum Catalogum simul init, docet P. Menestrier, Leges sive Requisita genuinorum Symbolorum esse omnino XII. Hæc, quia memoriæ sedulo infixi, ideo non despero, me ea mutato sermone, ordine redditurum.

Scilicet: I. *Figura quæ constituunt Corpus Symboli, debent esse jucunda, honesta, & oculis grata; hoc est, ut Paulus Jovius dixit, Di bella vista.* II. *Figurae sunt noscibiles citra colorum aut verborum subsidium.* III. *Ita constituenda sunt, ut in propria aliqua actione occupentur, minime tamen quid indecens referant.* IV. *Cum plures locum inveniunt Figurae, mutuis inter eas exigitur respectus, ut junctum unam tantum actionem edant.* V. *Lemma esto paucorum verborum, in qua nihil abundet, nihil quoque, quod ad sensum animi exprimendum pertinet, desit.* VI. *Relationem ad se invicem Figurarum & Verba inferunto.* VII. *Verbis designanda actio aut proprietates Figurarum, ita tamen ut non tantum nullam ipsius Figuræ, sed ne ullius quidem rei, quæ oculis cernitur, mentionem contineant.* VIII. *Verba eligenda emphatica, significantia, quæq; sensum gignant uberem.* IX. *Facienda quasi quadam antithesis & oppositio, quo vis augeatur.* X. *Nihil humile, nihil abjectum, nihil indecorum significetur.* XI. *Natura rei aut proprietates quæ Symbolo occasionem præbuit, ut vulgo nota sit, necesse est.* XII. *Cavendum ne Symbolum ea difficultate laboret, ut ad ejus interpretationem Oedipus requiratur, sed nec ita clarum sit, ac definitum, ut nihil intellectui cogitandum relinquat, cum aspectui proponitur.* Cum hæc sic recitasset, heus, dic mihi, inquit, annon ista omnia in Symbolum quod versamus apprime quadrent, & num quid habeas, quod contemnas. Sumto deinde in manus libro, jubet me attendere ad ista Præfationis: *La Devise du Roy que j'entreprends de justifier, plût d'abord, elle trouve dans le monde, des approbateurs tandis qu'il n'y eut que le bon sens, l'esprit, et la Raison, qui en jugerent. On la mit en medailles, et en camayeux; on la fit paroître par tout, & le sage Ministre, a qui les Sciences, les Arts, l'Etude, et les Academies dorvent leur retablissement aussi bien que le commerce, en fit la marque glorieuse du plus illustre des Regnes, en ordonnant, qu'elle fût mise sur tous les ouvrages publics. Mais depuis que quelques esprits pleins de leurs fausses lumieres, prevenus de leurs erreurs, et d'ailleurs peutestre assez mediocres en savoir, se mirent a la decrier aupres des Dames de la Cour, et de quelques personnes de qualite, on s'imagina qu'elle n'estoit plus aussi juste, aussi belle, et aussi spirituelle, qu'elle avoit paru d'abord. On voulut la degrader de l'honneur qu'elle avoit acquis d'etre la Devise du Regne, et si elle n'eut esté empreinte en tant d'endroits, sur l'or, le marbre, le cuivre et le bronze, qu'il estoit impossible d'en effacer le souvenir, on l'eust vûë peutestre obligée, de ceder sa place et son rang à d'autres Devises, que le caprice du temps, le mauvais goust de quelques personnes, l'intrigue et la cabale de quelques autres liquez ensemble pour se soutenir et pour se donner du credit, vouloient faire*

## EXERCITATIO PRIMA.

passer pour excellentes. Enfin la vertu a prevalu, cette Devise subsiste, et fait la Peinture du Prince le plus grand qu'on ait vu regner. Elle est dans tous les Etendards de ses Troupes victorieuses, qui ont obligé tant de Peuples à recevoir la Paix, que ce grand Roy leur a donnée par un excès de clemence et de generosité. On la void sur les Canons qui ont forcé les Villes de se rendre et de se soumettre à luy, durant les dernieres Guerres. Les fameux ouvrages des Gobelins, où l'or, la soye, les pierreries, la peinture, & la sculpture ne font voir que des miracles, en nous représentent la vie et les actions glorieuses de Louis le Grand, n'ont point de plus bel ornement que cet agreable Devise. On la void en mille endroits de Paris, du Louvre, de Versailles, & de S. Germain. Les étrangers l'ont tournée en toutes leurs langues; les Academies de delà les monts, l'ont approuvée, nos vaisseaux l'ont portée au nouveau monde, et il n'y a plus de peuples qui ne l'ayent vuë, & qui ne l'ayent admirée. Folia aliquot vertens, legebat amplius ex ipso Operis contextu: Toutes les Portes de Paris, qui sont autant d' Arcs de Triomphe, où les exploits merveilleux de cinq ou six Campagnes sont gravez; tant de Places fortifiées, tant de superbes Edifices, tant de Vaisseaux & de Galeres, tant de Meubles, tant d' Equipages, tant de Medailles, tant de Livres portent cette Devise empreinte, & l'ont fait connoître à tant de Peuples, & a tant de Nations, qu'il est important & pour la gloire du Roy, & pour l' instruction de la posterité, de justifier ce Synbole contre les accusations de quelques personnes, qui veulent luy ôter l'avantage d' être l'une des plus belles, & des plus justes Devises qui ayent jamais été portées par aucun Souverain. Denique volvendo iterum librum, incidebat in ista: En attendant donc, que ceux qui ont blâmé cette Devise, en fassent de meilleures, je diray qu'elle est des plus justes, des plus heureuses, & des plus spirituelles. Qu'elle ne cede en rien aux Devises qui passent pour merveilleuses, & qu'elle en laisse après elle une infinité de celles qu'on a estimées. Qu'elle vaut toutes celles que portent à present les Souverains, & que ceux qui viendront après nous, en feront peu de meilleures. Non seulement cette Devise est juste, propre, & élevée; mais elle est singuliere, cette pensée n'est point une pensée retouchée, comme tant d' autres, qui ne sont que des redites, ou des imitations. Il y a plus de quatre cens Devises du Soleil. Mais de ces quatre cens Devises, qu'il y en a qui se ressemblent. Hæc cum prælegisset, simul sermonem comprimebat, expectans auribus arrectis, quid esset responsurus.

Tum ego: Illud ante omnia sedulo monendum, nimis perperam id mihi factum videri, quod Vir Insignis sua hæc ita miscuit



scuit, ut Christianissimi Regis Majestatem quodammodo admisceat. Enim vero, hæc sacra & sancta esse debet mortalibus omnibus, maxime vero iis, qui doctrinam profitentur. Quippe, ut alia, quæ mea tenuitas haud capit, verbis incomtis, & paupertina oratione non temerem, tanta certe extant illius in universum orbem Literarium, ex summa, & cujus similem nulla unquam ætas vidit, liberalitate profecta merita, ut Apollinem Musasque omnes irascentes habiturus sit, qui, quoties occasio datur, non in laudes ejus sese resolvit. Quamobrem, cum ipse Christianissimus Rex, aut aliquid Regium, considerationem Symboli ingreditur, nihil jam hercle mutire audeo, nec aliud mihi relinquitur, quam ut animo & corpore congeniculando, venerer illum Solem. Sed, si tanti fulgoris ferendi impar, in umbram me recipiam tenebrio, vel potius Academicus Recuperatus ingrediar *ἀντρον ἐπήρατον ἡεροειδές; ἰδὸν Νυμφῶων αἱ Νηιάδες καλέονται*, *Antrum amabile, obscurum, sacrum Nympharum, quæ Najades vocantur*, licebit utique Symbolum nudum & quale in sese est, paulisper contemplari. Atque, quia fatente Menestrier, hoc idem multi in ipsa adeo Gallia ante nos fecerunt, eadem me, quæ illos indulgentia, absolvet. Quod, Tacito autore, M. Terentius Varro, cum ob familiaritatem quæ ei cum Sejano intercesserat, in discrimen vocatus esset, Imperatori Tiberio scite non minus quam animose inculcavit: *Non est nostrum astimare Casar, quem supra ceteros, & quibus de causis extollas. Tibi summum rerum judicium Dii dedere; nobis obsequii gloria relicta est*: Idem de Regum Symbolis, quatenus Scutis eorum appinguntur, ut profiteamur, ratio & consilium suadent. Sed, cum extra hæc exhibentur, ad Symbolicæ Artis Regulas illa exigere, nemo prohibet. Johannes Galliarum Rex, ceu vetus & constans fama, quam tamen elevare nititur Menestrier, hactenus tulit, non sibi tantum, sed & Equestri a se instituto Ordini, pro Symbolo elegit Stellam lucidissimam, Corona superne ornatam, inscripsitque: **MONSTRANT REGIBVS ASTRA VIAM**: nec fuit credo, qui hoc calumniaretur, etsi ad perfecti Symboli normam ista satis quadrare, ne ipse quidem P. Menestrier concesserit. Frideri-

cus, Austriæ Archidux, & postea ejus nominis tertius Cæsar, de suo Symbolo, in libro quem propria manu descripsit, quemque mihi quondam Bibliothecam Imperatoriam Iustranti, tractare verfarque concedebatur, expressit sequentia:

*By welchem Bau, oder auff welchem Silbergeschir, oder andern  
Kleinoten, der Strich und die fünf buechstaben stehen.*

**I. A. E. I. O. V.**

*Das ist mein Herzog Fridrichs des jungern gewesen, oder ich  
hab dasselbig bauen oder machen lassen.*

Et si vero ullum Symbolum, magis ab artis legibus quam hoc ipsum desciscens, ne fingi quidem potest, tamen quis vitio vertat Optimo Principi, quod illud in deliciis habuit? aut, quis tam vecors est, ut hujus Symboli luculentam expressionem, in porta exteriore per quam ad Palatium Imperatorium Viennæ patet aditus, ferat moleste? Patiamur ergo Reges & Principes in Symbolis suo abundare sensu, imo credamus insuper, sæpe divinum & vaticinum quid, iis inesse. Esto, nonnunquam forte fortuna & temere hæc effingi; unde non improbo illud, quod prioris ævi Summum Virum enunciaffe nuper admodum legi: *Dicunt esse Symbolum filii Imperatoris, Regis Angliæ,* (ad Philippum II. Hispaniarum Regem, cum Mariam Magnæ Britanniæ Reginam in conjugio adhuc haberet, sine dubio respexit:) *NEC SPE. NEC METU. Nescio an tantum sit in eoroboris, ut nolit discedere a Recto, neq; Spe, neq; Metu: Die Herren haben unterwei Symbola, wie es kommt.* At, sunt profecto Regum Symbola haud infrequenter ejus generis, ut sedibus æthereis demissum Spiritum ea suggestisse, non obscure appareat. Apud Homerum, omnis profanæ eruditionis partem, cum in convivio Sponsorum Penelopes, mirificus Cantor, Danaum adversa dulcisonis modis caneret, atque superveniens castissima foeminarum ideo irasceretur, & aliud melos illum ordiri juberet, eam his verbis Telemachus filius affatur:

EXERCITATIO PRIMA.

7

Μῆτερ ἔμη, τί τ' ἄρ' αὖ Φθονέεις ἐρήσον ἀοιδῶν  
 Ἴέρπειν, ὅππῃ οἱ νόθ' ὄρνυται; ἔ νύ τ' ἀοιδῶν  
 Ἄιτιοι, ἀλλὰ ποθὶ ζεὺς αἰτιῶ, ὅς τε δίδωσιν  
 Ἄνδράσιν ἀλφειῆσιν ὅπως ἐβέλυσιν ἐκάσῳ.

*Mater mea, quid sane rursus invides jucundum Cantorem  
 Oblectare, quocumq; illi mens impellitur? non sane Cantores  
 In causa sunt, sed interdum Jupiter in causa est, qui suggerit  
 Viris ingeniosis ita ut velit unicuiq;.*

Et nos credemus, minus curæ Numini esse Reges aut Principes in Symbolis eligendis, quam esse Cantores solent, cum inter temulentos de cantilena dispiciunt? Proinde, quoties recordor, Christianissimum Regem non fastidire Symbolum, in quo Sol in coeli axe constitutus, orbem terrarum collustrans, addita habet verba: **NEC PLVRIBVS IMPAR**, toties simul agnosco, tam argutum, sapiens, pulchrum, concinnum, planeq; appositum id esse, ut nihil supra. In latebris vero nunc constituto mihi, & quia præterea ἠέλιος ἄρ' ἔδυν καὶ ἐπὶ κνέφας ἦλθεν, *Sol occidit, & tenebrae suborta sunt*, fas utique est effari, quid modeste in illo Symbolo, quatenus purum putumque existit, desiderem. Non enim Tyrannos patitur Musarum Republica; dicere in ea, nisi pudor & honestas vetent, cuique conceditur, quod sentit, & ipse P. Menestrier quoque id sibi sumsit, ut in Imperatorum nostrorum, aliorumque Regum Symbola animadverteret. Quin, ita animum compono meum, quasi prorsus ignorem, eum, qui sceptrum tenet, & populos subjectos imperio feliciter regit, Christianissimum Galliarum Regem, Symbolo quod verfamus, præ aliis infinitis, quæ certatim Eruditi, delectando illi composuere, insigniter capi, nihilque ego sciam aliud, quam quæ Philippus Picinellus Mediolanensis in opere quod inscripsit, *Mondo Simbolico formato d' Imprese scelte, spiegate, ed illustrate*, affert, & quæ, ecce, noster, quem manibus tenemus Menestrier, sic ex illo repetit: *La giuditiosa prudenza, e fortezza d' un gran Rè, attia non che à governare un mondo, ma molti ancora, nelle di lui Medaglie vienne figurata con l' effigie del Sole, che sovrastando al globo della terra, portava il motto:*

NEC

EXERCITATIO PRIMA,  
NEC PLVRIBVS IMPAR.

*Imprefaben calzante à Filippo II. Rè delle Spagne, che ſeppe governare non che vaſti e numerofi Regni dell' Europa, ma e quelli dell' Indie Orientali, e dell' Occidentali ancora, riuſcendo*

NEC PLVRIBVS IMPAR.

*D. Salvatore Carducci in queſto argomento coſt.*

*Phœbi jubar tam grande cælo fulgurat*

*Vt pluribus nec impar extet orbibus,*

*Philippi imago, Sol Philippus fideris*

*Dum Regum Apollo luxit orbi plurimo.*

Nunc, poſtquam a reprehentione mihi cavi, quamvis minime meditatus huc accedo, exponam tamen dubia, quæ obiter ſuccurrent. Eſt, citra controverſiam, omnium Symbolorum hæc ſuprema & præcipua lex, ut actio quæ ſignificatur, ejus ſit generis, ne rerû naturæ vim inferat, aut aliquid valde enorme, & ἐκ τῶν ἀδύνατων involvat. Nimirum, ſi Homerum audimus, κακὸν ἀνεμάλιον βάλειν, malum eſt incerta loqui: nedû ut ea afferare nobis liceat, quæ fieri nulla ratione poſſunt. Non deſunt autem, qui negant, unum Solem plures poſſe orbis terrarum regere, cauſantes, quod hi ſidentur, nunquam eventurum ſit, ut in ſuo ſtatu perennet, hoc, quod certo ordine digeſtum eſt mundi corpus,

*Lunaq, per totidem luces mutetur, & orbis,*

*Et natura vias ſeruet, quas fecerat ipſa,*

*Nec tirocinio peccet.*

Nempe exiſtimant, non amplius futuras ſtatas dierum atque noctium, ortus & occaſus vices, ſed utique eventurum, ut aliquos populos propter aſſidue obſiſtentes ſibi invicem orbis, triftes perpetuæque umbræ premant, Solem nullo unquam tempore ſuis oculis uſurpaturos.

Cæterum, fateamur nos unum Solem plures orbis regere poſſe, at qui pote ut unus homo id præſtet? vetat id, haud quidem magnopere illud, quod Freinſhemius ad Alexandri apud Curtium dictum, *Nec mundus duobus Solibus poteſt regi: nec duo ſumma regna ſalvo ſtatu terrarum poteſt habere,* unget, non eſſe eandem homini,

quæ

## EXERCITATIO PRIMA.

quæ Sôli ad orbem terrarum lustrandum fovendumque indefessam & stabilem facilitatem, quo omnes imperii sui partes pari celeritate & efficacia curet. Tanta siquidem gaudet pernicitate humana mens, ut Solem facile antevertat, & eapropter quiescendi aliquod spatium sibi sumere homo queat, cum Sol in opere suo occupatur. Apposite *Lactantius*, libro, qui in Vulgatis Editionibus, *de Opificio Dei*, sed in nostro MS. longe, nisi fallor, aptius, *de Opificio Homini*, titulum habet: *An potest aliquis non admirari, quod sensus ille vivus, atq; cœlestis, qui mens, vel animus nuncupatur, tanta mobilitatis est, ut ne sum quidem cum sopitus est, conquiescat; tanta celeritatis, ut uno temporis puncto cœlum omne collustret: & si velit, maria pervolet: terras, ac urbes peragret: Omnia deniq; qua libuerit, quamvis longe lateq; summoa sint, in conspectu sibi ipse constituat?* Cæterum, si uni homini plures mundi regendi sint, id imprimis quæritur, quibus mediis tantum munus exequi debeat? Nisi enim, quis vias nobis ostendat, per quas ex uno orbe in aliurn mandata ope cursorum & internunciorum deferre, quomodo belli pacisque præsidia hinc inde communicare conveniat, non capimus illud in plures orbes sese extendere valens hominis imperium, nec debet inter ea referri, quæ effecta reddi possunt. At, dicat quis, huc evadere Picinellum, quasi non id significetur Symbolo, Philippum II. parem fuisse regendis plurimis mundis, sed tantum diversis multumque a se invicem sejunctis unius mundi regionibus, ut ita accipere Symbolum oporteat, quomodo capimus illud Poëtæ:

*Et penitus toto divisos orbe Britannos.*

Enim vero, si hæc intelligere jubemur, penitus actum fuerit de Symbolo, periitque omnis inter Solem & Philippum Regem similitudo. Nimirum, quis tam amens est, ut persuadere nobis laboret, Solem aptum esse, qui varias Orbis Regiones pervagetur, cum per Orbem totum quantus quantus est, illum circumire, sciant etiam pueri, qui nondum ære lavantur? Vnde David, in Psalmo, quem Latini XLIX. numerant, de Sole pulcherrimis omnibusque notis verbis, magnifice prædicat: *Ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo*

*suo* : Exultavit ut gigas ad currendum viam, a summo cælo egressio ejus. Et occurfus ejus usq; ad summum ejus : nec est, qui se abscondat a calore ejus. Quod si ergo verbis, NEC PLVRIBVS IMPAR, de Sole aliquid enunciatur, hoc illud fuerit, ea pollere ipsum virtute, ut pari quo nostrum Orbem regit modo, etiam alios insuper, si existerent, regere queat. Jam, hæc ad Philippum II. de quo communi sermone jactabatur, eum Sole, (cum nunquam illi occideret,) pro famulo uti, si quis applicare velit, manendum est intra Similitudinis terminos, dicendumque, Philippum æque ac Solem, multorum Orbium moderatorem ac rectorem esse posse, nec alium sensum, in cujusq; sani hominis animo, Symbolum progenerat. Dehinc, exigit Symboli Heroici conditio, ut ejus proprii, cui quartum locum Dialecticorum filii assignant, indolem imitetur, nec nisi uni alicui homini definite ac distincte conveniat. Hanc ob causam, Solis imago, Symbolo omnibus numeris absoluto, materiem haud ita facile præbebit. Illum enim mundi oculum, ex quo Symbola primum excogitari cœperunt, statim promiscue, Maximi, Minimi, Medioximi sibi vindicarunt, vindicantque sibi etiamnum, ut eadem, propemodum Solis in Symbolis, quæ in rebus naturalibus aliis producendis, & fuerit hæctenus, futuraque sit assidue fecunditas. Nempe, quia Sol omnibus lucet, omnia fovet & recreat, nec uni mortalium magis propitium se exhibet, quam alteri, ideo omnes circa ejus effigiem, suo aut aliorum Genio accommodandam, aliquid sibi licere arbitrati sunt. Amplius, cum verbis, NEC PLVRIBVS IMPAR, duæ, ut ita dicam, figuræ cardinales, subjiciantur, hæreat quis primo obtutu, Soline magis an Orbi inscriptio conveniat, nam, geminum hunc sensum, & unum Solem plures mundos regere, & unum mundum a pluribus Solibus regi posse, lemma istud admittere, nemo ibit inficias. Non debet autem Symbolum Spectatoris animum suspensum reddere, aut trahere in diversa. Ad hæc, necesse est, ut inter Corpus Symboli, ejusq; Lemma, mutua sit & reciproca habitudo, ita, ut nec in Corpus, alia temere, quam quæ adjicitur, inscriptio, nec in Lemma Corpus aliud, magis aut æque quadret, quam quod cernitur oculis. At vero, Soli, qua-

quatenus Orbem terrarum irradiat, præter illud, **NEC PLVRIBVS IMPAR**, sexcenta amplius obtigerunt lemmata. Ipsi autem illis verbis, **NEC PLVRIBVS IMPAR**, subjectum Solem, terræque Globum si quis abradat, & *Clavem, qua omnes etiam diversissimorum generum Seras adaperit, quam Galli Passe-par-tout, nostri, ex ignota mihi ratione, eimen Dieterich/ vocant, aut, Speculum, quod quascunq; rerum effigies, & recipit, & refert, in locum reponat, non dabit se fortasse nimis turpiter.* Omnium vero optime Lemmati, **NEC PLVRIBVS IMPAR**, conveniet cum *Luna noctiluca, clarum os extra nubes proferente, & pariter Orbem terrarum subjectum habente.* Tenet enim Luna divisum plane cum Sole imperium, quippe, ceu Moses nos docet: *Fecit Deus duo Luminaria magna: luminare majus, ut præset dies: & luminare minus, ut præset nocti.* Quod si igitur tanta vis Soli inest, ut interdiu pluribus terrarum orbibus regendis par sit, non debet eadem Lunæ denegari, ad noctu faciendum officium. Nec aliud, si plures orbis existere contingat, futurum, ipsa sana ratio suadet, nisi asserere velimus, in aliis a nostro separatis orbibus degentes homines, recedente Sole, assidue premi caliginosa nocte, quæ terras horribilibus tenebris involvit. Postremo, non id nobis placet, quod verba, **NEC PLVRIBVS IMPAR**, nullum e Veteribus autorem habent. Nam, in Symbolica arte, nihil nunc dicendum est, quod non prius, aut a Veteri Vulgato Sacrarum Literarum Interprete, aut a Scriptore aliquo profano Classico, maxime vero Poëta, dictum sit, nec apte sonant recentia, auribus delicatis. Hæc sunt, quæ circa Symbolum, quod nos occupat, scrupulos mihi injiciunt, eos, sive tu, o nofter *Stoberline*, sive alius benigne eximet, magnam apud me, solidamque inibit gratiam.

Cæterum, *Stoberlinus*, moto leviter capite, te quidem, ait, cum tua scrupulositate dignum odio reputaverim, nodum in scirpo quaris, novasque penitus inducis leges in Artem Symbolicam, citra Quiritium suffragium. Nihil eorum, quæ tute exigis, a rerum istarum peritissimo Menestrier tradita, postulant. Ego, sermonem reassumens, hanc, inquebam, suspicionem a me procul

remotam velim, quasi novas Symbolorum leges moliar, illas ferendas cenſeo, quæ pridem fuere latae. Nam, quod ad P. Menestrier attinet, ille paucas tantum, ex multis nobis proposuit, & quantum apparet, eas selegit de industria, quas Symbolum, cujus defensionem ipse susceperat, non migrare animadvertebat. Tractavit illud de Symbolis struendis argumentum, eleganter & solícite, Vir magnæ eruditionis, & inusitati cujusdam acuminis, Italiae decus præclarum, E MANVEL THESAURVS, Comes Sarmatoris, ac Eques Magnæ Crucis Sanctorum Mauritiæ & Lazari, qui me olim Augustæ Taurinorum, per annum fere integrum degentem, inter cariores admittebat, in scito, nec unquam satis laudando libro, cui nomen fecit, *Il Cannochiale Aristotelico, ôssa, Idea dell'arguta ed ingeniosa Elocutione, che serue à tutta l'Arte Oratoria, Lapidaria, ed Simbolica*. Dolendum, egregii Commentarii, qui Venetiis A. MDCLXIX. quintum impressus fuit, in Germania ægre haberi copiam, & si haberetur, paucis esse intelligibilem. Haudquaquam sum tam ex prompta memoria, ut leges omnes Symbolorum Heroicorum, quæ in istum non descriptæ tantum sunt, sed præterea argumentis confirmatæ, ac illustratæ exemplis cernuntur, edisserere queam in præsentia. Id tantum scio, longissime leges hæc superare numerum in quo P. Menestrier sistitur, duodecimum, & tantæ difficultatis opus esse, Symbolum plene planeque perfectum excogitare, ut Illustris Thesaurus denique profiteatur, ingenii humani aciem ei rei vix ac ne vix quidem sufficere, nec ex infinitis Symbolis, quæ ad ejus pervenire notitiam, aliud ullum repererit, præterquam unam & solam Ludovici XII. Galliarum Regis Histricem, aculeos suos quaquaversus vibrantem, ac verba, EMINVS ET COMINVS, inscripta habentem, quod ad veri Symboli excellentiam assurgat, etsi ne hoc quidem a defectu usque quaque immune arbitratur. Cras, cum supremæ rursus horæ nuncius Hesperus orietur, te iterum conveniam, mecumq; adducto libro, quem ab aliquo incolarū hujus urbis possideri scio, in eo legendo nos delectabimus, & ut major tua sit voluptas, postremo repræsentabo tibi Symbola duo, quorum his proximis diebus



mentē subiit cogitatio, ea, etsi nondum ad Theſauri régulas exegi, nec enim tantum ſpatiū, rebus aliis occupato mihi, fuit conſeſſum, tamen auſim conſidere, non nimis ab iis aberratura. *Stoberlinus* ſubridens, vide, inquiebat, ne illi tui circa Symbola excogitanda auſus, ſint calidi nimis, quibus fortasſe excides: atque P. Menestrier, noſtram gentem propemodum extra cenſum illarum Nationum ponit, quibus tantopere de meliore luto præcordia æquus Jupiter effinxit, ut aliquid poſſint circa Symbola Heroica conari. Ain tu, reſpondebam ego, hoc ipſum facere? non enim memini, tale quid me obſervasſe. Vtique, ſubjiciebat *Stoberlinus*, videtur ſic animatus fuiſſe, nam ſolis Italicis & Hispanicis ingeniis vim eam tribuit, quæ ad Symbola effingenda valeat, quod, parum abſuit, quin graviter aliquantulum ferrem, prorsus quaſi nos Germani, cum aliis, ad Septentrionem populis, ad cucurbitas pingendas aptiores eſſemus, quam ad Artem Symbolicam. Fieri poteſt ut fallar, hoc tamen ipſum voluiſſe exiſtimaverim, cum de Symbolo cujus vindicam agit, ſic loquitur: *Enfin, que l'on diſe ce qu'on voudra de cette Deviſe, je ne puis m'empêcher d'en dire ce que Domenichi dit de celles de trois de nos Rois, dans le Dialogue de Paul Jove; de trois Deviſes de nos Rois; qu'elle eſt ſi belle, ſi juſte, ſi ſpirituelle, & ſi bien tournée, que je ne ſçay, ſi ſowie la ſubtilité des Italiens & des Eſpagnols en pourra faire de plus belles. Domenichi: Senza fallo queſte très Impreſe de queſti très Rè Franceſi, Louis XII. François I. & Henri II. hanno a mio parere tutta quella grandezza, che ſi ricerca, ſi di ſogetto, e viſta. come di ſpirito e ſignificato; e non ſo ſe gli argutisſimi Spagnuoli v'aggiungeranno.* Sed, non prorsus congruunt iſta Dominici apud Jovium verba, cum prioribus P. Menestrier, nec fruſtra ipſe, Hispanicis, Dominico memoratis, Italos inſuper adjunxit. Quanquam, non eſt, ut hiſce immoremur, tu modo, ſac promiſſi tenax ſis, exſpectatus advenies, atque, ſi Symbolum mihi contemplandum dabis, quod meſuram omnem artis implebit, donabo te Numo illo, cujus tam cupidum sæpe te oſtendiſti, aureo. Scis, quem innuam, cum nimirum, qui parte anteriore reſert Guſtavi Adolphi incluti Sueciæ Regis imaginem; parte, vero averſa, Regni Suecici Inſignia, quibus hinc Sulphuris, inde

Mercurii, Chymicæ notæ adduntur, exhibet: cujus generis Numis, non a Natura, sed Arte præparatum Aurum, materiam præbuisse, ita invaluit opinio, prope jam ut pro veritate habeatur. Cum dextras junxissemus, discedebam, nec mora, postera die, condicto tempore affui, offendi quæ *Stoberlinum* me præstolantem; qui, post mutuam salutationem, percontabatur, num Theſauri librum nactus essem? Vtique, subiciebam ego, & si vacat, ei legendo, nos addicemus, nam Lectorem a mentis perturbationibus immunem, & attentum desiderat. Reponit *Stoberlinus*: pridem ex animo omnem ejeci sollicitudinem, & totum me paravi, ad cognoscendum Symbolicam artem. Lege igitur, ego attendam ad tua dicta, cum judicio.

Mox evolvens ego tractationem, quæ inscribitur, IDEA DELLE ARGVTEZZE HEROICHE, CHIAMATE IMPRESE, eam prælegebam a capite usque ad calcem.

Est vero omnino operæ pretium, inferere hic aliqua in Latinam conversa Linguam, quæ Eruditissimus Theſaurus vernacula sua proposuit, sed ita, ut summa tantum capita delibando, breve velut florum efficiam corpusculum. Nam, qui plura, & rerum insuper testimonia, deprecant, ipsum adeant licet, ubi deprehendent, jam pridem Aristotelem, etsi in argumentis aliis versantem, præcepta quæ ad Symbolicam artem attinent, fere omnia & singula dilucide inculcasse. In compendium redacta doctrina, hæc est:

## IDEA

ARGVTIARVM HEROICARVM, QUÆ ITALIS DICVNTVR IMPRESE.

**H**Aud melius edoceri potest Ars Symbolica, quam si Idea Symboli perfectissimi proponatur. Quia enim Symbolorum quæ quot die spectamus, alia magis, alia minus scita deprehenduntur, defectuum autem, nec scientia est, nec numerus definitus, & insuper circa Definitionem ac Præcepta Symbolorum mire variant Autores, necesse fuerit, conficere Ideam, in qua omnes perfectiones concurrunt. Eæ vero, etsi singulæ non sunt de essentia Symboli, essentiam tamen Symboli

boli perfectissimi ingrediuntur. Atque, ut ut fere impossibile est, ob ingenii humani, limitati nimirum, imbecillitatem, & subiecti, quod omnes circumstantias sæpe non admittit, repugnantiam, attingere hanc Ideam, constabit sic nihilo secius, propius ad eam accedentia Symbola, meliora, deteriora esse, quæ abeunt longius. Nempe, pari modo Plato Rempublicam quoque, Cicero Oratorem, Aristoteles Tragediam, in Ideis nobis repræsentarunt.

Symbolicæ Artis, nulla Veterum extant præcepta, etsi ipsa una cum Poësi & Pictura, simul in dias luminis auras prodiit, adeoque stultum sit, ejus illum Autorem, quam Naturam quærere, quæ omnes omnium ætatum gentes, ad IMITANDUM pellexit. Hinc nullum Græcum aut Latinum Poëma tam ineptum reperitur, quod non Symbololum aliquod, aut Emblemata sapiat, quæ tamen solum Ingenium, non vero Ars condivit.

Proinde, quanquam Symbola jam inde a vetustissima memoria fuere efficta, Ars tamen illa adornandi, non nisi superiore Seculo, quod æque bellicarum turbarum, ac eruditionis ferax fuit, prognata. Cum enim Duces, armis, Literati, ingenii inter sese certarent, occupavit animos æmulatio, animandi Signa Militaria acutis & pungentibus argutiis Symbolicis, quibus sese mutuo feriebant, & majora sæpe vulnera invicem infligebant, quam suis telis. Scilicet, Paulus Jovius Comensis, vir perspicax & eruditus, primus parens fuit hujus artis, ad Andreæ Alciati Nobilis Mediolanensis, qui argutias Morales, quæ *Emblemata* vocamus, repererat, imitationem sese componens. Quippe, ad rogatum, multorum toga sæpeque conspicuorum Virorum, Symbola varia Heroica, sive composuit, sive collegit, atque, illa secum perpendens, primus legum eorundem, quædam scabra rudimenta effinxit. Quamobrem, idem circa Symbolicam, quod circa struendarum Navium artem, accidit, quarum tabulatum cum invenisset Atlas, alii deinde Remorum, rursus alii, gubernaculi, denique quidam Velorum, ut ventorum flatu propellerentur, ceu facile est inventis aliquid addere, fecerunt accessionem. Complures enim e Literatis, Jovii vestigia sequendo, limam adhibuere ab illo traditis, ac sensim præcepta Artis elegantissimæ expoliverunt, ita tamen, ut opinionibus nimis diversis fuerint præditi. Ex mihi lectis, recentissimus pariter atque optimus est, SCIPIO BARGAGLI, qui tamen non dissimulat, multa se reliquisse aliorum industriæ, ut experiantur, num propius scopum petere queant.

### METHODVS INVENIENDI DEFINITIONEM SYMBOLI PERFECTISSIMI.

Quemadmodum omnis Ars, sive Liberalis, sive Mechanica, nihil est aliud, quam ordinata series Præceptorum, quæ ad opus aliquod diriguntur,

guntur, omne autem Præceptum, ex Definitione ipsius Artis, ejusque Objecto prognascitur, ita, nisi Definitio in aprico posita sit, Ars ipsa tenebris occultitur; Definitione autem reperta, Præcepta nullo negotio inde derivantur, & expediuntur difficultates. Hanc ob causam, Aristotelis Definitio dicitur, & principium, & plus quam dimidium operæ. Is vero, tribus faculis utitur, ad pervestigandas definitiones rerum, quæ in obscuro latent. Vna harum est, ETYMOLOGIA NOMINIS. Cum enim Nomen inventum sit, ut nota rei significatæ existat, consequens est, nisi absonum fuerit, brevis ac confusæ Definitionis, vicem suppleat. Alteram faculam, præbet EXEMPLVM INDIVIDVI alicujus, quod in fama ac laude est hominum. Hac ratione, ipse Aristoteles, Sophoclis Oedipum, & Homeri Iliada, tanquam examussum optima exempla, sibi proposuit, secundum quæ, Comœdiæ ac Epopoëiæ proprietates definiret. Ultima facula habetur, COMMUNIS OPINIO eorum, qui bene aut secus de re judicaverunt; cum fieri nequeat, ut quisque semper, & ubique circa eam fallatur. Atque hi; maxime mediis, indagare nos oportet, reconditam Definitionem Symboli perfectissimi.

## DE NOMINE SYMBOLI HEROICI.

Heroica Symbola, natales suos debent *Scutis Heroum*; unde Plinius Secundus, reprehendit perversam subtilitatem Grammaticorum, *Clypeum* a *Cluendo*, ob politum chalybis fulgorem, derivantium; habet enim omnino originem, a Græco *γλυπτὸν*, quod figuram sculptam innuit. Nimirum, antiquissimis temporibus, inglorius & ignobilis is miles erat, qui *Scutum album*, hoc est nullo Symbolo decoratum, gestabat. *Græci* itaque, notas Scutorum vocabant, *ΓΑΤΑΥΠΤΑ* a *Scalpro*, sive, *Instrumento*, quo incidebantur; item *ΣΥΜΒΟΛΑ*, quo nomine Herodotus Cariae Equitum notas militares appellat. Et Plautus, *ἀποσφραγισμῶς* Sigilli militis alicujus designans, ait: *Miles hic reliquit Symbolum impressum in cera*. Atque hæc denominatio, ad *Formam*, generali notione acceptam, pertinet, quia Symbolo, hoc est signo manifesto, abditus sensus significatur.

Virgilius, *Latino* sermone, Symbolum Heroicum, SPECIMEN vocavit, de Sole loquens, qui, in Latini Regis galea effulgebat. Alibi, ARGUMENTVM appellare maluit; signum, quod Turni Scutum occupabat, quodque bos formosa Jo erat, descripturus; *Vox Specimen*, idem sonat ac *Symbolum*; verbum *Argumentum*, ad *Formam* intrinsicam pertinet, innuens, ex figura visibili, argumentum capi de sensu, qui oculis minime cernitur.

*Itali* Symbola Heroica significanter admodum dicuntur IMPRESA, ex *Causa Finale*, quæ est conatus aliquis Heroicus. Friget enim illorum Etymon, quibus *Impresa* a Latino *Impressio* transfumptum videtur, nam sic *Impressa* enunciandum foret, non *Impresa*.

*Galli*, Symbola vocant ARMOIRES, quia Scutis Gentilitiis, quæ *Materiem* præbent, imprimuntur: item DEVICES, quod est a *Deviser*, argute loqui, ut sic proprie ad Lemmata respectum involvat denominationem.

Ex his! appellationibus omnibus cordatus Lector generatim id colligat, *Symbolum esse notam aliquam, quæ in Scuto, conatum Heroicum sive perpetratum, sive mediatum, significat.*

## QVALE SYMBOLVM SPECIATIM PRÆ ALIIS, SAPIENTVM APPROBATIONEM MERVERIT.

Inter Symbola quotquot extant, publica fama palmam tribuit *Ludovici XII.* Galliarum Regis Symbolo, quod erat *Histrix*; undique aculeos jaculans, cum lemmato: *EMINVS ET COMINVS*: hoc est.: *Feriam inimicos meos, prope & procul constitutos.* Paulus Jovius, primus architectus hujus artis, ait, ei inesse *singularem pulchritudinem, speciem, & significatum.* Bargagli, qui arti ultimam manum imposuit, asserit, *non tenere illud inter Symbola locum secundum.* Generatim omnes Scriptores, imo Homines omnes, sive excelsi, sive mediocris ingenii, illud suspexerunt; quia adeo inimici Regis, metuébant id æque ac collaudabant.

Interim certum est, circa Symboli hujus *Autorem & Significatum*, nimis diversas se offerre opiniones, quas exponere necesse est, ut de Acumine ejus plane constet. Compilerator Hieroglyphicorum, quæ Pierio subjunguntur, tribuit illud *Regi Ludovico XI.* comminanti Carolo Burgundia Ducem, *se ipsi prope & procul nociturum!* At, a Tipotio contra, adjudicatur *Carolo Burgundo*, jactanti, *se Ludovicum prope, & Imperatorum e longinquo petiturum*: audaci expressione, & Carolo Audace digna. Monreale, Sanmartani, & Autor Relationis Statuum, Autorem Symboli constituunt *Carolus Ducem Aurelianensem*, edicentem Duci Burgundia, ejusque ascelis, *se futurum implacabilem ultorem patris sanguinis.* Cæterum, Jovius, eundictum, Capacci, Bargagli, Paradinus, & alii complures, *Ludovico XII.* inventi gloria deberi contendunt, indicanti, *se, cominus terminis propriis factiones Gallias debellatarum, eminus in commo-datarum Italia, negotiationibus, & penna.* Quidam, concilians oppositas sententias, *Carolus Aurelianensem* repertorem Symboli, *Ludovi-*

cum imitatore prædicant, atque addit Paradinus, Histricem fuisse Insigne Blofiorum civitatis, quam Ludovicus jure hereditario obtinuerat; eaque circumstantia notabilis est, ad augendum acumen. Autor Relationum, aliam itidem circumstantiam prodidit, similiter observatu dignam. Nimirum, Ludovicum Regem, diu *Histrice Coronata* cum lemma *Eminus & Cominus*, pro Symbolo usum esse. Sed, post prælium Ravennatense, quo gloriabatur se Caroli IX. & Antecessorum clades expiisse, substituisse lemma: *VLTVS AVOS TROIÆ*: innuendo, *Histricem suam satis procul spicula jactasse*, & alludendo simul ad communem opinionem, quæ fert, Regiam Gallicam Familiam, a Phrygiis Heroibus descendere.

Quamobrem, penitius considerando Symbolum hoc, principio observamus, ejus *Significatum*, esse plane Heroicum. Nam, sic explicante illud Compilatore Hieroglyphicorum, *rara Principis laus est, conjungere Fortitudinem & Consilium*, cum hæc dotes etiam separatæ, sufficiant ad gloriam conciliandam.

*Cominus* ut pugnat jaculis, atq; *Eminus*, Histrix;

Rex bonus est *Armis, Consiliisq;* potens.

Verum, subtilius alii interpretantur apud Paradinum, quod, *sicut aculeis Histricis, quamvis acutissime pungant, vis tamen sanandi inest*, atque sic lanceæ Achillis in modum, & sagittæ & medicamenti usum præbent, ita *Arma illius Regis, tam Bellum, quam Pacem procuraverint,*

*Et Vita ex nostro vulnere, Morsq; redit;*

uti erat Regis illius studium, juvare oppressos, male mulctare opprimentes.

Porro, longæ plurimæ perfectiones sese offerunt in *Corpore* Symboli. Est enim *FIGVRA nobilis, scita, arguta, & erudita*, ac vehementer Militiæ convenit. Scilicet, nihil mirabilius, nihilque pulchrius, quam intueri bellicosum hoc animal, quod galeam capite, terrorem aspectu, ignem oculis, & agmina hastarum corpore ostentat: cumque sibi phœtra, arcus, & sagitta sit, transfigit vicinos impulsu, in remotos jaculatur telorum densissimam multitudinem, tanta arte, ut ne Parthicus quidem Sagittarius, de industria oculum & manus collimans, magis apte scopum ferire queat. Jam, præter egregiam *Proprietatem*, habet insuper Corpus hoc Symbolicum, *per aquam Proportionem*, estque tam luculentum, ut cuicumque *Scuto, Signo militari, & Sago* inferatur, micet, atq; oculos spectantis venustate impleat, animum horrore.

Neque vero minores *LEMATIS* adjecti sunt perfectiones. Quippe, principio bina Adverbia *EMINVS & COMINVS*, citra concursum Verbi, formant argutum Laconismum, qui cogitandum relinquit, quod

non proloquitur, & omnino tamen edisserit, quod alius mente concipit. Porro, sonus verborum est harmonicus per *Oppositionem*, & convenienti *Quantitate*, ut non minus oculo, quam auribus se commendat. Auger valde Lemmatis speciem, quod illud non noviter excogitatum, sed ab Autore illustri suppeditatum, deprehenditur. Sive is Livius fuit, cum lib. 24. de mirandis Archimedis machinis, quibus Marcellum Syracusas oppugnantem, infestabat, sic loquitur: *Sed ea quoque pars omni Tormentorum apparatus instructa erat: qua non EMINVS tantum, sed ET COMINVS telamitteret.* Sive insignis Poeta Lucanus, describens libro 4. prælium, quo Curio ab Africanis trucidatus est, ubi inter alia ait:

*Sicundiq; septa Juvencus,  
COMINVS obliquis, ET rectis EMINVS hastis,  
Obruitur.*

Addit hæc veritas Lemmati gravius pondus *Autoritatis*, majorem gloriam *Eruditionis*, ostenditque *Ingenii* excellentiam. Longe enim facilius est, mille Lemmata ex suo edere cerebro, quam unum e Classico Autore producere, quod quasi in nostri gratiam videatur literis consignatum.

Quamobrem, ego sic existimo, decantatam *Histricem*, in Symbolo Ludovici Regis, suo merito fuisse coronatam, illique convenire nomen Symboli Regii, & Reginae Symbolorum. Vnde, si recte perpendantur illius perfectiones, manifestum evadet, illud solum plus in hac arte docere nos posse, quam librorum strues immensa. Sed, nimis felix foret, si summæ illius perfectionis ideam attigisset, quam nos credimus esse inaccessibleam. Igitur, uti Aristoteles, ex perfectione Oedipi Sophoclis, pervestigavit Definitionem Idæ Tragediarum, formata autem Definitione, ἀποδεικτικῶς retrogreditur, defectus ipsius Oedipi commonstrans: ita nos, utemur cultissimo hoc Symbolo, ut Definitionem assequamur nobilissimæ Idæ, scrutaturi tamen postremo, num nævus aliquis ei insit, & revelaturi ope Tubi Optici Aristotelici, maculas ipsius lucidissimi Solis.

## COMMUNES AVTORVM CIRCA SYMBOLA OPINIONES.

Equidem, apud Autores, qui mihi de Arte Symbolica, ad Bargaglium usque, (post hunc enim, quia jam Ideam Materie hujus formam veram, nolui alios adhibere in consilium,) lecti, inter ea, quæ concordibus suffragiis decisa habentur, reperi, I. *Dari aliquam ARTEM Symbolicam.* At, non definiunt, num Rhetoricæ, an vero Poësi originem debeat; quæ consideratio necessaria est, ut præcepta ex suo fonte arcessantur.

II. *Symbolum esse SIGNUM, ad id directum, ut quod nos sentimus, alterius animo manifestetur.* At, dubium relinquitur, num *Signum* hoc, & que possit esse *Genericum* ac *Specificum*; *Compositum*, ac *Simplex*; *Vocale*, ac *Visibile*.

III. *Sensum animi, qui significatur, debere esse HEROICVM, unde Symboli Nomen & Origoprofluxere.* Superest vero controversia, num *Sensus* ille debeat esse *Vnus*, an *Multiplex*; *Vni soli proprius*, an *multis communis*. Item, num præter *Bellicas* notiones, se diffundat ad eas, quæ a *Pietate*, *Sapientia*, *Amore* proficiscuntur, atque sic tam ad aliorum *Vitia*, quam *proprias Virtutes* se porrigat.

IV. *Symbolum esse rationem significandi sublimem & INGENIOSISSIMAM.* Sed, non explicant, in quo illud acumen ingenii consistat. Imo, nec docent, an *Hieroglyphica*, *Insignia Gentilitia*, & *Emblemata*, species sint, secundum *essentiam*, aut secundum *accidens* a *Symbolis* differentes.

V. *Ad Symbolum requiri Figuram aliquam CORPORIS.* Non conveniunt autem, num e *Corporum* censu ejicienda sint *Humana*, *Abstracta*, *Chimærica*, item ea, quæ *corpus non habentia*, uti *Dæmonas*, *Angelos*, *Numen*, figurant.

VI. *Vt Corpus SIMILITVDINEM contineat, qua in proprietate aliqua fundatur.* Adhuc igitur sub *judice* lis est, num admittantur *proprietates creditæ*, sed reapse non existentes; item *fabulosæ*, aut, per *meram potentiam* tales. Porro, num *significare* liceat *Dissimilitudinem*, *Contrarietatem*, *Negationem*, aut *Identitatem*.

VII. *Ne cesse esse Corpori adjungere DICTVM seu LEMMA, ut ita ex Verbis Figuræ junctis, sensus integer emergat.* Interea loci non conveniunt, num *Lemma* ad *Symboli substantiam*, an vero *decorem tantum* pertineat: nec minus, circa *numerum verborum*, & *claritatem* in *partes* scinduntur.

IX. *Symbolum esse compositum argutum, CORPORE & ANIMA constans.* Disputant autem, quid *Anima*, quid *Corporis*; quid *Subjecti*, quid *Objecti*; quid denique *Materia*, quid *Forma* vicem subeat.

Sic pugnant *Autores* inter sese, *Andabatarum* more, *clausis oculis*: quæ *difficultates omnes evanescent*, simul ac *Perfecta Idea*, se nobis *conspiciendam præbebit*. Sufficiat tantisper, ex *Nomine*, *Exemplo*, & *Communi Autorum Opinio*ne, haussisse nos *generalem hanc notitiam*:

SYMBOLVM esse *expressionem Heroici alicujus sensus, factam a mente nostra, non verbis propriis, sed per Figuram.*



## THESIS FUNDAMENTALIS.

SYMBOLVM PERFECTVM CONSISTIT IN  
METAPHORA.

Id evidenter comprobatur *Metaphoræ Definitio*, quæ est, *quod significet rem aliquam, beneficio alterius*, minime vero verbis propriis. Proinde, si dixisset Ludovicus Rex : *Prosternam inimicos propinquos ac remotos*; is sermo proprius erat & communis. At, ut hæc significet, monstrat nobis imaginem *Histricæ*, quæ prope pungit, & aculeos eminus vibrat, quod *Metaphoram* involvit, *Symbolumq.* Hinc igitur prognascitur sua vitas, quam Symbola pariunt. Cum enim Objectum terminis propriis designatur, se tantum innuit: cum per Metaphoram, duo Objecta indicantur, se mutuo complemententia. Scilicet, *Regem Histræ; Arma, Aculei; Victoriæ, Punctiones* notant: id quod ingenio hominis, natura sua res multas minima molestia comprehendendi cupido, evadit gratissimum. Atque non posset Symbolo magis scito Rex Bellicosus designari, quam sæva Histrice, de qua Claudianus:

*Militat omne Fera corpus: vibrat aq. rauco  
Terga fragore sonant, stimulis accensa tubarum.  
Agmina collatis credas configere signis,*

## THESIS SECUNDA.

PERFECTISSIMVM SYMBOLVM EST METAPHORA  
PROPORTIONIS.

Metaphora Proportionis fundatur in *similitudine duorum Subjectorum diversæ generis, ob Proprietatem aliquam Analogicam*. Sic Achilles & Leo inter se conveniunt *animositate*, ut hac ratione, Achillem, *Leonem Græcorum*, Leonem contra, *Achillem inter feras* appellare liceat. Attributionis Metaphora, fundatur in *qualitate aliqua, cum Subjecto suo conjuncta*: uti cum *Gladio, Belli; Instrumento, Operis; Parte, Totius; Abstracto, Concreti* sit indicium. Utraque Metaphora Symbolis argutis ansam præbet, atque Attributionis Symbolum fuerit, si *Penna & Gladius conjungantur*, cum Lemmate: EX VTROQUE CÆSAR, ut per Instrumenta illa, insignis scribendi & belligerandi peritia, explicetur.

Proportionis Symbolum exhibet Emanuelis Philiberti Sabaudia Ducis *Elephas*, cui inscriptum: *INFESTVS INFESTIS*; ubi respectus habetur, ad proprietatem eum tantum offendendi, qui prior offenderat. Est autem Symbolum Proportionis perfectius, quovis Symbolo Attributionis, quia Metaphora Proportionis omnes alias antecellit; cum majorem ingenii perspicaciam arguat, observare similitudinem inter duo Subjecta longissime sejuncta, quam Subjecto adhaerentem qualitatem. Quod si Symbolo Proportionis, Attributione accedat, intenditur acumen. Sic se habet Symbolum ejusdem Emanuelis Philiberti Ducis, adhuc juvenis, quando vires ejus, non vero animus, Magni cujusdam Regis potentia opprimebantur. Pingebat enim *Arma* sua, *Velo* obtecta, addebatque: *CONDVNTVR, NON RETVNDVNTVR*. Neque vero destituitur hac perfectione Regis Ludovici Symbolum. Cum enim *Histris* esset Insigne sui Ducatus, Metaphoram Attributionis præbet. Jam, habito respectu ad proprietatem cominus & eminus feriendi, subternitur Attributionis Metaphora, Metaphoræ Proportionis, & quoniam *Figura* *Figuræ*, *Lumen* *Lumini* accedunt, increfcit argutia.

### THESIS TERTIA.

#### PERFECTISSIMUM SYMBOLUM EST METAPHORA PROPORTIONIS, ARGUMENTI RATIONEM HABENS.

Metaphora Proportionis triplicis est generis. Vnum, consistit in *simplici Verbo Metaphorico*, provenitque ex prima mentis operatione, uti, si pro *Ira*, quis *Ignem* nominet. Alterum, secunda mentis operatione, efformatum, complectitur *Propositionem Metaphoricam*, qualis hæc: *Ignis gladio non est fodiendus*; ad indicandum; *Irrisanda non est Potentia ira*. Vltimum est *Argumentum Metaphoricum*, confictum in suprema sphaera intellectus; uti, si dicas: *Quare cur Saguntum arserit? Romanorum ignem gladio foderat*. Atque hæc Metaphora cum sit perfectissima, eam Symbolum quod in illa fundatur, deponit: & hanc ob cau-

\* Fortasse legendum Carthaginensium.

sam Latinis Symbola, significanter, *Argumenta* dicta sunt. Videlicet, Symbolum perfectum, Imago, sive Argumentum est a simili, quod probasi habet Axioma illud proportionis, ab Aristotele in Arte Poët. c. 20. inculcatum: *Quomodo se habet Secundum ad Primum, simili ratione se habet Quartum ad Tertium*. Vti, si colligas: Sicut *Aculei* sunt *Arma Histris*; sic *Arma*, sunt *Aculei Ludovici*, terminus Secundus Primo, & Quartus Tertio respondent. Quapropter nulla unquam Symbola perfecta

fecta censenda sunt, nisi in quibus quatuor terminorum ad quatuor digitos fieri potest numeratio, sequentem in modum: *Sicut Histrix pungit cominus & eminus aculeis: ita Ludovicus cominus & eminus vincet armis.*

## THESIS QUARTA.

### HOC ARGUMENTVM EST POETICVM.

Aristoteles l. 3. Rhet. c. 4. docet, dupliciter uti nos posse *Imaginem*. Semel, quando unius Objecti cum altero, fit comparatio: Verbi causa, *Ludovicus est similis Histrici*. Altero cum fingimus, quod unum objectum sit alterum: Exempli gratia: *Ludovicus est Histrix*. Prior locutio suppeditat Argumentum Proprium & Oratorium, hoc modo: *Ludovicus similis est Histrici: etenim, uti Histrix cominus & eminus ferit aculeis: ita Ludovicus superat vicinos pariter & remotos inimicos, armis*. Posterior, gignit Argumentum Metaphoricum & Poëticum, formæ istius: *Ludovicus Histrix est: Quamobrem feriet inimicos vicinos, & remotos*. Atque hæc Propositio figmentum est Metaphoricum, & ideo Poëticum, est enim fictio de essentia Poëseos. Oratores contra, utuntur voce *Comparationis* indice, quæ proprie Metaphoram & fictionem excludit. Est igitur Symbolum *Argumentum Poëticum*, quippe, non utitur voce Comparatiua, sed proponens tibi Histricem, vult ut existimes, hanc esse Regem Ludovicum: eo modo, quo Pictura, tibi persuadere nititur, fictum, esse verum; & Metaphora, Achillem esse Leonem. Id autem concluditur Parallogismo, ex tribus agentibus in Secunda Figura composito, quasi quis dicat: *Leo est ferox: Achilles est ferox: Ergo Achilles est quidam Leo. Histrix ferit eminus & cominus: Idem hoc facit Ludovicus: Est igitur Ludovicus, omnino Histrix.*

## THESIS QUINTA.

### SYMBOLVM EST COMPOSITVM QVODDAM, EX CORPORE ET ANIMA.

Quodque verbum, siue ore prolatum, siue scriptum, est *Signum Sensibile*, mentis conceptum significans, ea ferè ratione, qua Lusores lapillum visibilem deponunt, ad Aurum designandum, quod neutiquam cernitur. Subit proinde *Signum Significans, Corporis*, in verbo aliquo, siue Materix notionem; *Conceptus Significatus* Animam præstat, siue formam. Ad hunc prorsus modum, *Verbum Metaphoricum*, Compositum quoddam est

est ex Corpore & Anima ; puta ex voce significante aliquid proprie, & conceptu qui improprie significatur. Quamobrem in Symbolo, quod proprie est Metaphora, *Figura cum Proprietate significante efformat* CORPVS ; at *Persona, cum Proprietate significata*, ANIMAM præbet, hac ratione :

CORPVS proprie signifi- cans	}	1. HISTRIX
		2. vibrat ACVLEOS.
ANIMA per Metaphoram significata	}	3. REX,
		2. utitur ARMIS.

Ex his consequens est, ad Symboli essentiam sufficere *Figuram & Conceptum*, citra ullum Lemma, qualia Symbola erant Heroorum antiquissimorum ; cum enim Symbolum *Corpore & Anima* præditum est, integritati Compositi nihil dæcedit.

### THESIS SEXTA.

#### CORPVS SYMBOLI PERFECTI VERVM ESSE DEBET, AC REALE.

Quamvis Metaphora figmentum sit Poëticum, requirit tamen *Verisimilitudinem* in *Natura* fundatam. Quod si enim quis Significatum Metaphoricum, Significanti fabuloso superstruat, Verisimile, ei, quod a verisimilitudine alienum est, inædificatur, dumque unum figmentum per alterum innuitur, perit omnis Paralogismus. Unde magis probant Rhetores Metaphoram : *Adulator est Principum SCOPYLVVS* ; quam istam : *Adulator est Principum SCYLLA*. Scopulus enim objectum verum est & naturale, Scylla, imaginatum & fabulosum. Atque ut posterior Metaphora præ priore solers magis apparet, est tamen infabida, & levis, ac juvenilis ingenii index. Adde, quod majorem difficultatem habet, reperire similitudinem in rebus veris, quam in confictis. Segregandum proinde a Symbolo perfectissimo Corpus in nudo cerebro prognatum, non quidem, quasi minime aptum sit, ut materiam subministraret significatis argutis ; sed quia fundamentum ejus frivolum est, & verisimilitudine destituitur. Hinc Virgilius, non sine gravi judicio, in Galea Latini Regis, pro Symbolo nobis exhibet Solem, in Turni vero, insolentis juvenis castide, Chimæram. Segreganda amplius veniunt Cor-

pōra, per meram fictionem congesta, et si eorum quodquē reale est; uti *Cancer* forcipibus suis denticulatis *Lunam* tenens, cum Lemmate, FATIS AGOR. Item *Corpora Invisibilia*, uti cum ad Ventos denotandos, vultus ora spirantia habentes, adhibentur. Proinde, laudem meretur Symbolum Ludovici Regis, qui sane poterat suos sensus significare aliqua Stymphalidum, quas Antiquitas finxit sagittas ferreas ex alis jaculari; sed vero, satius esse judicavit, sistere Corpus naturale, *Histricem* videlicet, quaqua versus vibrantem aculeos.

### THESIS SEPTIMA.

## CORPVS PERFECTISSIMI SYMBOLI NOBILE ESSE DEBET, PVLCHRVMOVE.

Symbolum perfectum consistit in Metaphora perfecta, hac ex causa petenda est ab objectis nobilibus & pulchris. Inter Metaphoras enim eas commendat Aristoteles, quæ objectum venustum, ac oculis, auribus, cæterisque sensibus gratum, ostentant. Vnde, illo autore, aptior Metaphora est, si quis Auroram *Roseam* vocet, quam *Purpuream*. Nam, et si utraq; Translatio idem objectum nobis proponit, colorem nempe rubicundum, nihilo scilicet Purpureus, ex sanguine corrupto vilissimi vermis ortus, Roseo, qui objectum quo gratius nullum oculis existit, in mentem revocat, est deterior. Exulare ideirco debent a Symbolo Perfecto omnia illa corpora, quæ, utcunque prædita proprietate aliqua ingeniose quid significante, *Ignobilia* tamen, & *Vilia* deprehenduntur. Revocandum huc Panvini Symbolum, pingentis *Bovem inter Aram & Curram constitutum*, cum Lemmate: AD VTRVMQVE PARATVS. Est sane in hoc, nobile profusus significatum; verum, quia Corpus Symboli pro persona valet, quæ illud contemplandum exponit, necesse foret, ut Autor Symboli quasi dicat: *Ego sum Bos*, quod est absonum. Quin, generatim quoque vitanda sunt Corpora, Figura, & Nomine quidem Nobilia, sed, quæ nasutioribus cavillandi occasionem porrigere queunt. Sic Hippolithus Peruzzinus inter domesticos Julii II. Pontificis, ut testaretur, se vehementer obstructum esse beneficentiæ Heri sui, Symboli loco sibi eligebat nobilissima Insignia illius Papæ, *Quercum* videlicet, additis verbis: VMBRAM ATQVE SALVTEM; argute alludens ad *Quercum* Aurei Seculi. At, Aulici malitiosi, ob hanc rem eum tanquam *phaginem glandium* perstrinxere. Servat hætenus omne decorum *Histris*, sagittas suas quaqua versus jaculans. Est enim Corpus Nobile ac Pulcherrimum, quod Natura in terrorem & delectamentum amasse ac ornasse videtur. Vnde Claudianus;

## EXERCITATIO PRIMA.

*Hanc tamen exiguum miræ Natura suavi  
Præsidio dignata Feram. Stat corpore toto  
Sylvæ minax, jaculusq; rigens, in prælia crescit  
Picturata seges.*

## THESIS OCTAVA.

## CORPORA NATURALIA IN SYMBOLO PERFECTISSIMO PRÆFERUNTUR ARTIFICIALIBVS.

Extra dubium ponendum, *Naturale Corpus* tanto Nobilius esse *Artificiali*, quanto Natura Arte dignior. Naturale enim Corpus, Divinæ, Artificiale, Humanæ mentis opus est. Illa, ceu Magistra, hæc, uti Imitatrix se habet. Tum vero, Naturæ opera æterna, Artis, caduca, & tempori subiecta sunt. Hinc in Scutis antiquissimorum Heroum, quibus Symbola originem debent, a Natura, neutiquam vero ab Arte profecta Corpora, exhibentur. Aquila, Symbolum erat Jovis, pugnantis adversus seditiosos, ea, postea migravit ad Cadmeam familiam Thebas, ad Æneæ gentem in Phrygiam, ab hoc, Latinis tradita fuit. Agamemnon Leone, Amphiaræus Dracone, Vlysses Delphino, Pallas Noctua, pro Symbolis uli fuere. Merito igitur collaudandum Ludovici Regis Symbolum, ostendens *Corpus Naturale* nobilissimum, *Histricem*, per se ipsam armatam, & e dorso, tanquam arcu quodam, contra inimicos jaculantem sagittas.

## THESIS NONA.

PERFECTISSIMUM SYMBOLO NON ADMITTIT  
CORPVS HVMANVM.

Quotquot Corpus Humanum extra Symbola eliminant, hanc allegant rationem, quod inter Hominem & Hominem, non *Similitudo* sit, sed, *Identitas*. Verum, hæc enunciatio crude accepta, veritati repugnat: inter Hominem enim & Hominem, Metaphoræ, & Similitudinis Proportionalis imagines argutissimæ, locum inveniunt. Sic se habet Guidonis Bentiuogli *Atlas caelum sustinens*, cum Lemmate, *MATVS OPVS*: ut significaret, arduum munus esse, fulcire Patriam ruinofam. Possunt ergo *Corpora Humana* materiam subministrare Symbolis egregiis, si ex uno Genere ad alterum, transferatur Proprietas; uti cum Physicæ actiones, cum Moralibus componuntur. At, non inserviunt Symbolo, quod nos quærimus, perfectissimo, idque præcipue geminam ob causam

causam. Earum una est, quod etsi Proprietas e diversis Generibus pro-  
manat, Subjectum tamen idem specie existit. Altera causa, in duabus,  
quæ succedunt, Thesisibus, fundamentum habet.

## THESIS DECIMA. CORPVS PERFECTISSIMI SYMBOLI, NECESSE EST SIT MIRABILE.

Ex Metaphorâ aliquæ Superficiaræ sunt, aliquæ *Mirabiles*. Su-  
perficiaræ, sensum planum habent, omnibusq; obuium. Mirabiles, re-  
condito gaudent sensu, ac erudito, quem Auditori peruestigare volupe  
est. Quamobrem, Superficiaræ vocari possunt illa Corpora Symbolica,  
quorum Proprietatem, nullum tam humile ingenium reperitur, quod  
non declaret. Revocanda huc, *Fax* Matthæi Justiniani, quæ, ad Solis  
fulgorem lucem amittit, cum Lemmate, LVMINE VICTVS. Item,  
Mutii Matthæi *Laterna clausa*, cui inscriptum: ARDET, NON LVCE-  
CÆterum, Mirabilia sunt, in quibus Figura aut Proprietas, consuetas Na-  
turæ leges excedit, atque animum suspensum & mirabundum tenet.  
Tale Symbolum est Garziæ Toletani, exprimentis *Acum Nauticam*,  
quæ, quasi oculis prædita esset, ad Stellam Polarem respicit; inscripse-  
rat: A NIVN' ALTRA, sive, AD NVLLAM ALIAM. Maximi igitur  
fieri debet Symbolum Ludovici Regis, quod nobis ponit in conspe-  
ctum, Corpus Figura mirabile, vivum nempe, & volans armamentari-  
um. Majorem tamen mirationem parit Proprietas, sic a Claudiano de-  
scripta:

*Additur armis*

*Calliditas; parcusq; sui timor; iraq, nunquam  
Prodiga telorum; caute contenta minari:  
Nec nisi servanda jactus impendere visa.  
Error abest: certum solertia destinat ictum,  
Nil spatio saliente modum: servatq, tenorem  
Mota cutis: doctiq, regit comamina visus. \*  
Quid labor humanus tantum ratione sagaci,  
Proficit?*

\* Quædam  
editiones  
habent n.  
(100.)

## THESIS VNDECIMA. CORPVS SYMBOLI PERFECTISSIMI NOVUM ESTO, SED COGNOSCIBILE.

Has duas qualitates, mutuo quasi repugnantes, Aristoteles in Metapho-  
ra requirit. Nempe, vult ut *Novum* sit, ex novitate enim provenit mira-

tio, ex miratione, voluptas. Vult insuper, ut *Clara* sit, eamque ob causam frigidam vocat illas Translationes, quibus obscuritas inest. Peccant hinc adversus primum requisitum, illa Corpora Symbolica, quæ, quamvis Nobilia, continue oculis nostris obversantur, nec peregrinum aliquid nos edocent, uti *Corpus Humanum, Pavo, Equus, Sol, Flumen, Quercus, Scopulus, Mons.* Item ea, quæ quamvis raro conspiciantur, frequenter tamen in Symbolis & Insignibus depinguntur; qualia sunt, *Aquila, Fulmina, Palma.* Quod si vero in his proprietas egregia ostendatur, ipsa huic defectui remedio est, frequenter enim observationes novas, corpora non nova suppeditant. Adversus alterum requisitum peccant ea Corpora, quæ nimis nova, obscuritatem habent. Objectum enim, quod non cognoscitur, nec delectare nos potest, nec erudire. Hujus generis est *Lacus, Flos*, qui nocte tota undis Euphratis immersus, surgente Sole caput attollit, circa meridiem plane erectus consistit, & occumbente Sole, ipse quoque recedit, ac intra aquas sese occultit; cui, Ludovicus Madrucus, EMERGO LUCENTE SOLE, Ferrandus Carrasa, SIC DIVA LUX MIHI, superscripserunt. Enim vero, hunc florém in Scutis suis exhibere sanè possent, qui ad Euphratem habitant, minime vero Europæ regionum incolæ. Imo, non satis constat, qua ratione figurandus sit, non uno enim modo a diversis effigiatur, & aliter Autores Librorum Symbolicorum, aliter Matthiolus, eum representant. Ludovici Regis Symbolum laude dignissimum est, dum ambas perfectiones conjungit, Corpus enim nobis exhibet, quod, si maxime novum esset, ab ingenio tamen non profus peregrino cognosceretur.

### THESIS DVODECIMA.

#### PROPRIETAS PERFECTISSIMI SYMBOLI SIT APPARENS, ET ACTVOSA.

Inter Metaphoras, Aristoteles iis primas tribuit, quæ cum Hypotyposi conjunguntur, & ante oculos ponunt vivam aliquam actionem. Hinc, ad Vigilantiæ Hieroglyphicum, sufficit depingere *Caput Ciconia.* Sed, ut Symbolum evadat, tota efformanda est, pede altero lapidem tenens. Hinc, probe Ludovici Regis *Histris*, Spicula sagittans fistitur. *Se Pharaon, sese Jaculo, sese utitur Arcu.*

### THESIS DECIMA TERTIA.

#### PROPRIETAS PERFECTISSIMI SYMBOLI SINGULARIS SIT NECESSE EST.

Argumenta Similitudinis, peti possunt à Proprietate aut *Generica,* aut *Specificæ,* aut *Individuali.* In *alio subvolare,* est proprietas *Generi-*



ca avium quarumcunque. *Experiri partum ad Solem*, proprietas *Specifica* est omnium Aquilarum. *Renasci ex Flammiis*, individualis proprietas est, solius Phœnicis. Cum ergo Symbolum sit Argumentum similitudinis, relinquitur, tanto perfectius fieri Symbolum, quanto magis individualis est affectio. Quamobrem, perfecta censenda sunt Symbola, quæ exhibent *Figuram individualem*, cum intima affectione. Quomodo se habent, *Renasci ex flammis*, respectu Phœnicis; *Non mutuari ab alio lucem*, respectu Solis inter Planetas; *Non admittere alium sessorem quam herum*, respectu Bucephali. Interim, quandoque Proprietas Generica, magis convenit uni Individuo specifico, quam alteri, ob quandam restrictionem ad Nomen, Locum, vel Officium, aut ad aliam Circumstantiam. Sic, etsi in Quercu nidificare, multis convenit. *Avibus*, proprium tamen redditur Aquilæ Comitum Antonii Landriani; *Aquilam* enim habebat ipse in Insignibus Gentilitiis, *Quercum*, Dux Vrbinatensis ejus Socer, exhibuit, ad quæ alludens ipse, efformabat Lemma: **REQUIES TVTISSIMA**. Ecce igitur, cominus & minus ferire, qualitas est multis Rebus Naturalibus & Arte factis competens, tamen Ludovici Regis *Histrici* individualis fit, quia eam Insignia Ducatus, quo potiebatur, ostentabant.

### THESIS DECIMA QUARTA.

OPVS EST VT CORPVS PERFECTISSIMI SYMBOLI FACILE POSSIT REPRÆSENTARI.

*Universaliter oportet esse legibile quod scriptum est*, ait Philosophus. Hinc, secundum eundem, *Translatio per non significantes voces, frivola est*. Proinde, quodq; Symbolum tale esse debet, ut in tela, charta, ligno, marmore, metallo, delineatum aut sculptum, aut carbone in pariete ruditer expressum, illico cognosci possit. Laborant ergo imperfectione, Insignia earum familiarum, quæ simplicium colorum *Factis*, aut *Trabibus* prædita sunt. Quod si enim in marmore sculpantur, de colore non potest fieri iudicium. Proba hactenus est *Histrix* Ludovici Regis, quocumque enim modo pingatur, aut caletur, nullius est indiga coloris.

### THESIS DECIMA QUINTA.

CORPVS PERFECTISSIMI SYMBOLI, HABERE DEBET PERÆQVAM CVM SPATIO PROPORTIONEM.

Quemadmodum in Verborum Elocutione, Philosophus Proportionem inter dictionem & Subiectum commendat, ita pariter in Elocutio-

outione Symbolica, servanda est Proportio inter Figuram & Spatium; Emblematis igitur, quod Trichiniorum, Portarum, & Parietum ornamentum est, congruit Tabula Quadra: sed *Symbolum* ad Scutum attinet. Huic autem æque parum convenit *Mons Olympus* Ducis Octavii, ob vastitatem, ac *Musea* Spartani militis, ob minutiam. Adde, quod objecta parva, dum in angusto spatio proponuntur, formam suam confundunt. Unde, si in Sigillo sculpatur Francisci Medicei Ducis *Muscula*, gestans ore *Rutam*, dubium relinquitur, Rutane sit, quod tenet, an Pimpinella. Amplius, Proportionatum dicitur illud Corpus, quod in Scuto recubat, cum Symmetria venusta, & spectantibus grata. Quod si igitur una sit Figura, Centrum Scuti occupare debet, & latera adimplere, cum elegantia proportionem. Si duplex fuerit, ambo latera sunt æqualiter distantia a Centro, duarum Columnarum Caroli V. ad instar, quæ, Lemmate, fasciæ inscripto, colligantur. Ludovici Regis *Histrici*, competit omnino debita proportio. Quippe, magnitudo ejus naturalis, cum aculeis, quos radorum pictorum similitudine, a Centro ad Circumferentiam jaculatur, ea symmetria, specie, ac pompa, omne Scuti spatium opplet, ut oculus intuentis, dum nec deficiens quid, nec abundans deprehendit, summo opere afficiatur.

### THESIS DECIMA SEXTA.

## CORPVS PERFECTISSIMI SYMBOLI FIGVRÆ VNITATEM DEPOSCIT.

Metaphoram, quia secundum Philosophum, brevitatis unice commendat, cum ex uno solo verbo, multa objecta prominent, ea propter, ad miraculum pulchrum illud erit Symbolum, quod per Figuram unam solamque, Heroicum, & profundum Enthymema penitus declarat. Referre huc licet ex Arte factis, *Horologium Campana instructum*, cum Lemmate, SECVM MVETA PRIVS, quæ Figura unica, Scutum complet, præbetque Similitudinis Argumentum. Contra, imperfectissimum evadit Ferrandi Carratæ Symbolum, etsi Ruscellio magnopere deprædicatum, *Palma* nimirum, a cujus summitate *Sagitta* decidunt in *Capram Sylvestrem*, quæ *Diclamnum* sub palma depalcitur, cum Lemmate: HINC VVLNVS, SALVS, ET VMBRA. Sunt tamen arguta quoque ea Symbola, quæ Figuras quidem exhibent diversas, sed tendentes in corpus unum, uti cum *Pheenix*, in *flammis*, *Adamus*, *super incubat*, commonstrantur.

## THESIS DECIMA SEPTIMA.

### CAMPO FIGURÆ , NVDITAS ET SIMPLICITAS CONGRVIT.

Quemadmodum ad perfectionem Symboli, Figuræ unitas exigitur, ita hæc seipsa contenta, respuit adjectionem affectati ornatus. *Cælum* igitur, *Ær*, *Arbores*, *Regiones*, quæ vulgus in Symbolorum Scutis depingit, ineptiæ sunt, & remoræ intellectus. Insignia Gentilitia, & Symbola, hoc uno tantum distinguuntur, quod illa, Familix alicui integræ, hæc, uni homini conveniunt. De reliquæ, ambo deprehenduntur Corpora Symbolica, ambo Symbola Heroica, ambo, Symbola in Scutis significativa. Proinde, uti dementia foret, terrarum aliquem tractum adjungere Aquilæ, in Insignibus, Sago, Vexillis, aut Numis Imperatoris, Ita, in Symbolis idem si fiat, æque gravis hic error est. Ludovicus Rex nudam *Histriceæ*, citra phaleras, in Scuto & Sago gestabat, campo cærulei (qui Gallix propius est) coloris, incumbentem.

Hactenus, de *Corpore Significante* solliciti fuimus; nunc ad *Animam Significantem*, live *Mentis Conceptum*, transitum facere oportet.

## THESIS DECIMA OCTAVA.

### CONCEPTVS PERFECTISSIMI SYMBOLI NON HABET SE AD MODVM DOCUMENTI GENERALIS , SED COGITATI PARTICVLARIS.

Omnis Propositio Demonstrativa, autore Aristotele, converti potest in Deliberativam, si Finis immutetur. Deliberativa Propositio est, si dicas: *Vir Ingenuus imitari debet Adamantem, qui immotus consistit, adversus malleum inimica fortuna.* Hæc, ita fit Demonstrativa: *Iste Vir Ingenuus, imitatur Adamantem, & immotus consistit, adversus malleum inimica fortuna.* Prior Propositio, *Dogmatica* est, & convenit Emblematis; Posterior, *Particularis*, Symbolorum propria, quam exhibuit Cola Antonius Caracciolus, in Lemmate: SEMPER ADAMAS. Apparet hinc, idem Corpus, materiem præbere posse & Emblematis, & Symbolo; atque Emblemata in Symbolum, hoc vero, in illud immutari, Animam variando, non Corpus.

## THESIS DECIMA NONA.

## CONCEPTVS PERFECTISSIMI SYMBOLI DEBET ESSE HEROICVS.

Cum Symbolum nihil sit aliud, quam Metaphora in Scutis Heroum depicta, consequens est, ab ipsis Heroibus fuisse inventum, ut ignobile vulgus figuris coloratis celarent magnos animorum suorum sensus, Exigit igitur Symboli perfectio, Heroicum Conceptum, & eximium; cum secundum Philosophum, Virtus Heroica pro objecto habeat res arduas, quales sunt, defensio Amicorum, Patriæ, Principis, proprii Honoris, & Rerum Sacrarum: atque huc Symbola quoque collimabunt. Enim vero, erant sane talia, non antiquorum tantum Heroum, sed & illustrium Principum ac Ducum Seculi superioris Symbola, comminantia nunc pugnas, quod *Histrix* facit Ludovici Regis, ante prælium Ravennatense, Verbis: **EMINVS ET COMINVS**; nunc, jactantia victoriam, ceu fecit eadem *Histrix*, post illatam cladem, novis verbis: **VLTVS AVOS TROIÆ.**

## THESIS VIGESIMA.

## CONCEPTVS SYMBOLI PERFECTISSIMI, OPORTET SIT VNICVS.

Quoniam Argumenti Comparativi notionem subit Symbolum, ea propter uno solo Termino medio, qui est Proprietas, unicus provocandus est Conceptus. Contra, cum multiplicantur conceptus, argumenta quoque multiplicia evadunt, nec jam revera unum Symbolum offertur, sed plura in fascem colligata. Tali cumulo laborat Symbolum Burgundiæ Ducis, quod Ordini Aurei Velleris dicavit. Etenim, exhibet *Silicem*, e quo, *Chalybe* ignis excutitur, *Ligna item duo, in modum Crucis disposita*, cum dependente *Aureo Vellere*. Non enim hæc, ad simplices quatuor terminos reduci possunt, sed multiplicanda & separanda sunt Argumenta Comparativa, hæc ratione:

*Quemadmodum Heroës Argonauta spernebant pericula, ut Aureo Vellere potirentur: Sic ego intrepidus omnia pericula adibo, ut amore fruatur ejus fœmina, cujus desiderium me capit. Porro, Sicuti Silex Chalybe percussus, ignem edit: sic ego Gallicis armis vexatus, magnum in Gallia excitabo incendium.*

Hoc ipso vero, minime incusantur Symbola, in quibus Medius Terminus duos effectus oppositos complectitur, sed ex una radice prognascentes, uti, *Cominus & Eminus ferire*, in Symbolo Ludovici. Quia potius arguta hæc sunt, & alia antecellunt:

## THESIS VIGESIMA PRIMA.

IN PERFECTISSIMO SYMBOLO, FIGURÆ ADIVNGI  
DEBET LEMMA.

Etsi supra Thesi Quinta offensum, Lemma non pertinere ad essentiam Symboli, cum *Figura sensibilis, & Conceptus Intelligibilis*, sufficient ad formandum Compositum, Corpore & Anima præditum. Dicendum tamen, perfectionem Symboli Lemma ingredi, idque geminam ob causam. Earum *una* est, quod sic conjunguntur duæ artes elegantissimæ, Lapidaria & Symbolica, quarum quæque separatim etiam delectat, cum Lemma Figuræ addendo, perfectio perfectione, & ingenium ingenio, cumulentur. *Alteræ*, & magis prægnans est, quia, cum Thema unum multas pariatur considerationes, nimis obscurum evaderet Symbolum, ac confunderetur intellectus intuentis, nisi Lemma distinctionem pareret, ac mentem manu quasi duceret. Nimirum, si quis, verbi causa, *Histricem aculeos vibrantem*, pingat, plurimas ea admitteret explicationes, atque perpendenti Claudiani de Histrice Idyllion, aliquam multum conceptus, & Lemmata arguta sese offerent. Colligas principio: *Sicut Histrix haud alius quam suis sagittis eget: sic Ludovicus, non eget armis auxiliatricibus, ad sese vindicandum.* Lemma subministrat Poëta: *EXTERNAM NON QUÆRIT OPEM, fert omnia secum.* Colligas amplius: *Sicut in locum aculeorum, quos Histrix jaculata est, alii succrescunt; ita Ludovicus, mittens exercitum in Italiam, alium domi colligit.* Subvenit Poëta: *Faculisq; rigens, in prælia crescit picturata seges; quorum cute fixa tenaci, ALTERA SUCCRESCIT.* Colligas porro: *Sicut Histrix non jaculat spinas, nisi iusta defensionis causa: Ita Ludovicus armis tantum utitur, ut se teneatur.* Huc spectat illud Poëtæ: *Nec nisi SERVANDÆ JACTUS IMPENDERE VITÆ.* Colligas insuper: *Sicut Histrix tam exacte aculeos jaculat, ut a scopo non aberret: Ita Rex Ludovicus tanta prudentia ordinabit suum exercitum quanquam remotum, ut referat Victoriam: Lemma Poëta porrigente: ERROR ABEST: certum solertia destinat idem, NEM SPATIO FALLENTÉ MODVM.* Denique Ludovicus Rex eam observavit proprietatem, Histricem punge re prope, & procul jaculari, addiditque Lemma: *COMINVS ET EMINVS*, quod ipsum Claudianus his dixit verbis: *Crebris propugnat jactibus ultero, & longe sua membra regit.* Hinc, duas inferre licet magni momenti Conclusiones. Principio, istam: *Lemma proxime attinere debet ad Figuram significantam, minime vero ad Personam significantam.*

Lemmatis enim officium est, ut unam proprietatem ab altera segreget. Quapropter, imperfectione laborant ea Lemmata, quæ personæ conceptum, aut cogitata indicant: uti, cum *Auro in cibano*, superscribitur, DOMINE PROBASTI ME: aut *Amaranto in aquis revirescenti*: AT LACRYMIS MEA VITA VIRET. Hæc enim Lemmata, citra manifestum mendacium, de Figuris accipi nequeunt, cum nec Amarantus ploret, nec Aurum ad Deum verba faciat. Conclusio altera est: *Malle ab aliquibus Lemma vocari animam Symboli*. Anima enim & vita Symboli, non est Lemma, sed conceptus significatus.

Verum, de Perfectionibus Lemmatis, ulterior instituenda est disquisitionis.

## THESIS VIGESIMA SECUNDA.

### LEMMA PERFECTI SYMBOLI, ESTO ACUTUM ET BREVE.

Cum Lemma Argutum esse debeat, & Urbanam quoque Brevitatem exigit, quippe, Urbanitatis proprium est, multa paucis docere. Adde, quod Lemmata Figuræ, quæ & ipsa quasi loquitur, adjunguntur, ut sic leve indicium sufficiat. Acuta tamen esse debent, & amplius cogitandum relinquere, quam verbis enunciatur. Idcirco, si nimis clare Proprietas aut Conceptus revelentur, quamvis breve sit Lemma, non est tamen argutum. Vti, si quis *Hermelino* inscribat: MALO MORI QUAM FOEDARI. Similiter, si Lemma eorum Objectorum mentionem facit, quæ oculis cernuntur, verbosum est, etiamsi breve fuerit. Vti, cum *juncis marinis* additur: FLECTIMUR NON FRANGIMUR VNDIS. Cum enim aquæ conspectui pateant, frustra fit earum mentio, in Lemmate. Non potest autem exacte definiri numerus verborum, aut quantitas Lemmatis, sed, hanc Subjectum mensurat, omneque Lemmata breve dicendum, quod proprietatem citra verbum redundans, exponit. Ternarius tamen numerus verborum, magis videtur convenire. Habet enim Ternarius unus ex omnibus numeris singularem proportionem, ac Principio, Medio, & Fine componitur. Tria quoque verba Scuto apte congruunt, ut hinc & hinc singula verba sint, & unum in medio. Quod si duo verba in tria spatia dividere conveniat, sæpe sensus ridiculus emergit; ceu accidit inepto cuidam Amatori, qui cum Symboli loco depinxisset, *Linum Indicum inter flammæ*, & adjungere vellet Lemma, ILLE SVS ARDET: scripsit lepide, & sine diphthongo, in spatiis tribus: ILLE SVS ARDET. Magis imperfectum est Lemma unius vocis, uti, cum Horatius Farnesius, *Spicis* inscripsit: FLAVESCANT. Et si, enim

enim valde argutum est, in uno verbo multa objecta includere, ceu de Metaphora diximus; tamen Vnitas proprie numerus non est, sed, numeri principium, Binarius autem, respectu ternarii, est numerus imperfectus. Ludovici Regis Lemma, elegantissime gaudet numero ternario.

### THESIS VIGESIMA TERTIA.

#### LEMMA PERFECTISSIMI SYMBOLI ESSE DEBET ÆQVIVOCVM.

Æquivocatio in Lemmatibus Symbolorum, varias admittit formas. Vna, popularis est, quæ verbo duplicis significatus, simul ad Figuram & Conceptum alludit; uti, cum Henricus II. Galliarum Rex, Lunæ crescenti adiecit: *DONEC TOTVM IMPLEAT ORBEM*: in quibus vox *Orbis*, æqualiter Circulum Lunæ, qui videtur, & Globum universi, qui animo intelligendus, significat. Est alius modus magis ænigmaticus, cum Figura ipsa, sua appellatione Lemma efformat. Sic nonnemo, qui *GELARDAM* deperibat, Ætnam pingens, adiciebat: *GELAT ET ARDET*. Sed, hæc Æquivocationes, etsi argutæ, adhiberi non possunt citra nimiam declarationem Figuræ & Conceptus. Majorem ergo laudem merentur eæ, in quibus ex ipsa generalitate & abstractione verborum, oritur ambiguitas. Quale est Lemma Regis Ludovici, *COMINVS ET EMINVS*: quod, Adverbia, & termini abstracti, directe nec Histricem, nec Regem concernentes, absolvunt, & tamen levi opera, tam huic, quam illi possunt aptari. Imperfecta itaque sunt Lemmata, quæ Proprietatem, Figuram, aut Conceptum significatum, clare exprimunt, ceu dictum est Thesi antecedente. Quem in censum revocare oportet omnia, quibus inest particula demonstrativa. Qualia sunt, cum *Veneris stella*, *HAC MONSTRANTE VIAM*; aut duabus Anchoris, *HIS SVFFVLTA*, adjicitur.

### THESIS VIGESIMA QVARTA.

#### LEMMA PERFECTI SYMBOLI, OPORTET DESVM- TVM SIT EX CLASSICO AVTORE.

Quisque homo, qui non est ingenio privus, facile ex sese Lemma Symbolicum componere valet, quod proposito suo conveniat. Sed vero, Lemmati ejusmodi multum perfectionis decedit, nec aliud in iis, quæ laudis excellentiam mereri debent, admittendum, quam quod ab Auto-

re aliquo Classico prolatum, & quidem sensu alio, aliaque ad id occasione inducto. Hujus generis est Lemma EMINVS ET COMINVS, ex Classicis Auctoribus depromptum, qui tamen de *Histrice* Ludovici Regis, ne per insomnium quidem cogitaverant. Et vero, nemo ibit inficias, ultimum ingenii humani, ac plurimum autoritatis, delectationis, & applausus habentem conatum esse, si quis combinare queat, tria procul a se distantia, *Figuram Naturalem, Conceptum Moralem, & Dictum alienissimum*, quod in nostri gratiam prolatum videatur. Hoc opus tam difficile evadit, ut ad miraculum prope accedat, atque felices prædicandi sunt, quibus id negotium succedit. Adauget insigniter Lemmatis perfectionem, si fuerit Hemistichium alicujus Poëtæ, (est enim Symbolum partus Poëticus,) & maxime, si Hexametri versus, quales Heroicis Carminibus inserviunt, sit dimidium.

### THESIS VIGESIMA QUINTA.

#### LEMMA PERFECTI SYMBOLI EFFLAGITANTITHESIN.

Suavis est oratio, quæ in verbis brevibus, oppositum continet, quamvis id simplex tantum sit, idque Aristoteles Antithesin vocat. Sunt ex isto genere, *Phoenix* cum Lemmate: PERIT VT VIVAT: *Follis lusoria*, cum verbis: PERCVSSVS ELEVOR: *Palma*, inscriptum habens: INCLINATA RESVRGÔ. Major argutia fuerit, si servetur membrorum æqualitas, Isocolon dicta; ut, cum Termine sive Metæ, adjungitur: NEC CITRA, NEC ULTRA. Atque hæc quatuor vocabula, satis bene Scuto, duobus spatiis distincto, conveniunt. Supremus perfectionis gradus est, quando insuper similitudo vocum, & terminationum, sive Paromœosis accedit. Vti, in illo Emanuelis Philiberti Ducis, super *Armis obsecris*: CONDUNTVR, NON RETVNDUNTVR. Aut, cum *Situla fontis* adjicitur: SI DEFERAR, EFFERAR. Pollet hæc prærogativa Lemma COMINVS ET EMINVS: cum in eo Oppositio Objecti, Æqualitas Membrorum, Similitudo terminationum concurrant, ita, ut in ideam Lemmatis perfectissimi, cœlo descendisse videatur.

### THESIS VIGESIMA SEXTA.

#### LEMMA PERFECTI SYMBOLI LATINO SERMONE EFFERENDVM EST.

Symbolum in Signis Militaribus depingitur, est igitur publica quædam res: tegitur Metaphora, idcirco ingenium sapientis: atque hinc factus



tus mentis, multis, iisque ingeniosis dicatus, dici potest. Consequitur ex his, Lemma perfecti Symboli, conceptum esse debere ea Lingua, quæ superat ingenia vulgaria, ab omnibus autem, doctrina inter quascunque gentes pollentibus, intelligitur. Loqui enim ea quæ nemo intelligit, non loqui est; Loqui, quæ omnes intelligunt, elegantia cultusque nihil habet. Non igitur convenit Symbolis Lingua Vernacula, quia nimis vulgaris; nec Exotica aliqua, quia illam nemo assequitur, & suæ tantum regionis hominibus nota est. Quamobrem, valde frangebant Symbola *Germanica, Græca, & Hebræica*, quæ superioris ævi Belli Duces, per Italiam sibi eligebant, cogentes sic etiam Ingeniosos & Eruditos, ut Lexica secum deferrent, ad ea intelligenda; aut, ut illa non capientes, ignorantiam profiterentur. Magis ineptiebat, qui *Iridi* Catharinæ Galliarum Reginae, Lemma Græcum apponebat, ostendens manifeste, in eo Symbolo non feminam, sed Scholæ magistrum loqui. Atqui, omne Symbolum tale esse debet, ut videatur ab eo compositum, qui illud proponit. Concludamus ergo licet, Lemma Heroici & Perfecti Symboli, Latina lingua efferendum esse. Quippe, is sermo nobilis, argutus, concisus & peregrinus est; qui orationem elegantem & heroicam facit, ac supra vulgi loquelam effert. Tum vero hæc lingua omnibus toto orbe dispersis Eruditis, Ingeniosisque hominibus, communis est.

Declaratum fuit hæctenus, quæ sint Perfectiones *Corporis*, hoc est *Figure*; item *Anima*, sive *Conceptus*; nec non *Lemmas*, quod Corpus cum *Anima* conjungit. Restat, ut explicentur generatim Perfectiones totius Compositi Symbolici.

## THESIS VIGESIMA SEPTIMA.

### PERFECTVM SYMBOLVM DEBET ESSE POPV- LARITER ÆNIGMATICVM.

Omnis Rhetorica Eloquentia spectat Auditorem, Auditores vero in triplici sunt differentia: *Plebei*, hoc est Imperiti; *Populares*, hoc est mediocris ingenii; & *Exquisiti*, sive qui intelligentia ante alios pollent. Jam, sicut oratio maxime ad populum, sive majorem partem dirigitur: ita & Symbolum, Ænigma Populare continere debet, ut indocti picturam intuentes, & legentes Lemma, haud altius penetrent, quam Vulpes lambens vitrum Ciconiarum. Neque tamen tanta ei convenit difficultas, ut ingenia mediocriter sagacia, & erudita, consideratis *persona* quæ illud proponit, *Occasionis*, *Temporis*, *Locis*, aliisque *circumstantiis*, post brevem secum ratiocinationem, id intelligere, & nodum exsol-

vere nequeant. Tale est Symbolum Ludovici Regis. Cum enim ex improvise compareret *Histrix aculeata & sagittans* in Regio vexillo, ingenium etiam modice sagax, conspiciens formidandam figuram, cum verbis adjunctis, reputando secum turbas factiosorum in Gallia, necessitatem reddendi armis Gallicis pristinum decorem per Italiam, rationem item, quæ flagitabat Ludovici Mori perfidiam punire in Lombardia, aliasque ejusmodi circumstantias, ominari poterat, quid *Histrix* illa mimitaretur.

## THESIS VIGESIMA OCTAVA.

PERFECTISSIMUM SYMBOLUM PROPRIUM SIT  
NECESSE EST.

*Proprium*, illud dicitur Symbolum, quod ita convenit Personæ aut Subjecto, ut aliis æque non possit accommodari. Vulgo hæc non attenduntur, atque passim occurrunt Symbola, in tantum Consuetudine, ut non minus in complures homines quadrent, quàm ephippium unum in multos equos. Talia sunt: *Adamus malleo suppositus*, ad significandum: *Ego sum fortis*. Item, *Ciconia cum lapide*, ut innuatur: *Prestabo me vigilansem*. Propria igitur ea dicimus Symbola, quibus Circumstantiæ Singulares, & cum subjecto intime conjunctæ, exprimuntur, ita ut illud ac, ceu proverbio loquimur, tangant. Sunt autem Circumstantiæ Singulares, principio *Nomen* aut *Cognomen* famosum. Sic Virgo Bononiensis, capta amore *Cæsaris* Spinelli, quem parens ejus, qui illam aliis nuptiis destinaverat, averfabatur, effigiem *Amasii* assidue secum gestabat, cum verbis notis: *AVT CÆSAR, AVT NIHIL*. Aliam Circumstantiam Singularem suppeditant *Insignia Gentilitia*. Vti, cum Joh. Jacobus Trivultius, Ludovico Regi indicaturus, se quamvis longe inferiorem, tamen illi animose occursum, undecunque in Italiam percurrere tentaret, pingebat antiqua Insignia Familiæ suæ, hoc est, *Stylum ex opposito Solis umbram jactantem*, inscribens: *NON CEDIT VMBRA SOLI*. Pertinet huc *Histrix* Ludovici Regis, quod esset in Insignibus Ducatus cui præerat. Oritur quoque Circumstantia Singularis ex *Horoscopo*: quomodo Carolus Emanuel Sabaudicæ Dux, effigiabat *Sagittarium*, addebatque, *OPPORTUNA*: Cosmus Hetruriæ Dux, *Capricornum*, adjungendo *Cornu Copia & Gubernaculum navis*, quam figuram aliqui Nomi Augusti referunt, & inscribendo: *FIDEM FATI VIRTUTE SEQUEMUR*; quasi diceret: Sicut Augusto, Capricorni Horoscopus Imperium Terrarum Marisque portendebat, ita mihi sub eodem Signo nato, paria sperare licet. Efficiunt quoque *Singulares actiones*, ut Symbolum

bolum Singulare evadat. Vti, Carolus V. cum arma victricia in Africam adversus Tunetum & Goletam tulisset, pro Symbolo eligebat *Herculis Columnas*, cum Lemmate, *PLUS ULTRA*. Fit insuper proprium Symbolum, *per allusionem ad aliud antecedens Symbolum aut Lemma*. Sic, cum Columnii Symbolum sibi sumisissent *Funcoſ marinos*, & epigraphen: *FLECTIMVR NON FRANGIMVR*: contra Cæſarini Columnam eligebant, inscribentes: *FRANGIMVR, NON FLECTIMVR*.

## THESIS VIGESIMA NONA.

### NECESSE EST PERFECTVM SYMBOLVM INGENIOSVM EXISTERE.

Ingenium, duas involvit operationes intellectus: Sagacitatem in reperiendis circumstantiis, & Verſabilitatem in iisdem colligandis. Ergo, tanto magis ingeniosum fuerit Symbolum, quanto plures circumstantias proprias & singulares complectitur. Eminent facile, inter ingeniosa Symbola, illud Mauritii Sabaudia Principis, & nota Academiae Bellicarum atque Liberalium artium de *Solinghi* dictæ, quam ipse fundaverat. Repræsentabat illud, *Speculum Conicum*, in quod rudes & enormes super plano efformatæ figuræ, si admittantur, aptitudinem & concinnitatem referunt; adſcripserat verba: *OMNIS IN VNVM* quæ, ex Virgiliano, *Virtus coit omnis in unum*, deprompta. In hoc Symbolo, per ingenii vim inusitatam & incredibilem, Figura efformat Lemma, & vice versa, Lemma, figuram; Anima pro Corpore est, & pro Anima Corpus.

## THESIS TRIGESIMA.

### PERFECTVM SYMBOLVM RESPICIT FINEM ALIQVEM RHETORICVM.

Quodque Symbolum, cum sit Argumentum Rhetoricum, in Verisimilitudine fundatum, proinde necessario ad Rhetoricam persuasionem est ordinatum, & pertinet ad unum e tribus Causerum Generibus, quæ sunt, *DEMONSTRATIVVM, DELIBERATIVVM, ET IURIDICALE*. *DEMONSTRATIVI* Generis, sunt Symbola *Encomiastica*, quæ, Virtutem propriam, aut alienam celebrant. Sic, Iustitiæ studium declaraturus Wilhelmus Dux Mantuanus, *Stateram & Gladium* depingens, adiciebat: *CVIQVE SVVM*. Et, Lucretia Gonzaga, Castitatis amorem, *Cerva* icone, ac verbis Petrarchæ, *NESSVN ME TOCCHI*, sive,

NEMO

NEMO ME TANGITO, profitebatur. Insuper, Demonstrativi Generis sunt Symbola in *Vituperationem* effecta, uti cum Fœminæ Siculæ Insignibus, quæ, *Vitem arbori Populo* alligatam referebant, fuit additum : NULLA MAGIS ARBORE GAUDET. Generis DELIBERATIVI Symbolorum finis est *Suadere, & Dissuadere*. Quo referenda, *Navis undisjectata*, Cardinalis Granvelæ, cum voce Virgiliana, DURATE. Symbola JURIDICIALIA *accusant, aut defendunt*. Sic, cum Comitem Landrianum criminarentur inimici, quod ad honores evectus, otio se traderet; *Flumen exundans* depingebat, inscribebatque : ALTIOR NON SENIOR.

### THESIS ULTIMA.

#### IN PERFECTISSIMO SYMBOLO SERVARE OPOR- TET DECORVM.

Aristoteles, solícite jubet Translationibus sive Metaphoribus decen-  
ter uti. Decorum autem Metaphoræ, consistit in CONVENIENTIA,  
hoc est, ut attemperetur, *ei qui loquitur, ei qui attendit*, itemque *Subjecto*.  
Nimirum, debet inter Symbolum & Personam, quæ illud ostentat, justa  
servari proportio; atque est aliquod in Principem apte quadrans, quod  
neutiquam congruit Nobili privato, multo minus homini e vulgo.  
*Jupiter nubibus insidens, fulmenq; stringens*, cum Lemmate, POSSE SA-  
TIS EST, Symbolum erat Principis Bisignani: sed, quod rectius Mo-  
narcha aliquis, quam Vasallus sibi vindicasset. Ad Subjectum quoque  
respectum habere oportet. Hinc indecens fuerit, Verba Sacra Sym-  
bolo profano accommodare, aut Verba profana, Symbolo Sacro.

### EPILOGVS THESI VM.

#### DEFINITIO SYMBOLO PERFE- CTISSIMI.

Quia hactenus quamque perfectionem singulatim examinavimus,  
in proclivi jam est, formare Perfectissimi Symboli Definitionem. In  
unum enim combinando requisita illa omnia, dicimus:

Perfectissimum Symbolum est Argutia Realis,  
fundata in Metaphora Proportionis, habens ratio-  
nem Argumenti Poëtici, involventis Similitudinem,  
signifi-

significans cogitatum particulare & Heroicum, interventu Figuræ Veræ, Nobilis, Ynicæ, Pulchræ, Naturalisjuxta, ac Mirabilis, Novæ æque, ac Cognoscibilis, repræsentatu facilis, Scuto proportionatæ, cum Proprietate Apparente, Actuosa, & Singulari; quæ, innuitur Lemmate Acuto, Brevi, Contrario, Æquivoco, e Classico Poëta Latino deprompto; ut Symbolum evadat Ingeniosum, & Proprium, Populare tamen, & Personæ ac Subjecto conveniens.

CENSURA SYMBOLORVM ILLVSTRIVM, ET ADEO  
EIVS, QVOD HISTRICEM EXHIBET.

CAROLI V. IMPERATORIS celebratur Symbolum, *Columna*, puta *Herculis*, cum Lemmate: *PLVS VLTRA*, quo significabat, *spem sese concipere, post expugnata bina Africa munimenta, ulterius propagandi Nomen Christianum*. Dignum sane est hoc cogitatum, homine Christiano, & Heroë magnanimo; at, de re reliquo, *Corpus Symboli non Verum & Reale, sed, Fabulosum & Chimericum* existit. Quin, nec *Metaphora Proportionis nec Argumentum Similitudinis*, hic sese offerunt, unde ad quatuor terminos fieri nequit reductio. *Lemma barbarum est, & citra metrum*: Totumquæ Symbolum, aptius conveniret Ferdinando Hispaniarum Regi, qui Hercules metam primus superavit.

Elegantissimis Symbolis annumeratur CARDINALIS FRANCISCI GONZAGÆ *Aquila, Ramo Oliva insidens*, cum Lemmate: *BELLA GERANT ALII*. Et vero, est omnino hoc Symbolum, oculis visu jucundum, & Personæ in super proprium, tum ratione *Figura*, quæ, ad *Insignia Gentilitia* respectum involvit; tum ratione *Significatus*, decet enim ista expressio Sacrum Principem, qui pacis, non belli studium profitetur. Imo, in voce *ALII*, observant quidam argutam allusionem, ad fortitudinem militarem, ejus Principum Agnatorum, quasi dicatur: *Mea Aquila, non invidet gloriam aliis Aquilis Gonzagarum. Ego enim tam clarum me reddam Pacis artibus, ac Ferrandus Gonzaga Genitor meus, meiq; Fratres, Belli artibus inclaruere*. Acutum hoc, & Heroicum esse cogitatum, nemo negaverit. Cæterum, principio non fundatur in *Metaphora Proportionis*, sed, nuda tantum *Attributione*: non enim sese

offert *Argumentum aliquod similitudinis Proportionale* quatuor terminorum, sed, Simplex Symbolum, Aquilâ, Personam, & Olivâ pacem inveniens, in modum *Hieroglyphici*, aut *Numi memorialis*. Porro, *Aquilâ*, & *Olivâ*, nulla inest *Proprietas Naturalis*, aut *Actuosa*, sed unice spectatur *Chmarica* quædam *acervatio*. Amplius, Lemma, non attinet ad *Figuram significatam*, sed proprie ad *Conceptum significatum*, remque tam clare exprimit, ut nulla opus sit Figura.

Superest, ut illud quoque Symbolum censuram subeat, quod hætenus in alia animadvertit, HISTRIX nimirum REGIS LUDOVICI. Equis, autem unquam speret, daturum se Symbolum sine labe, si quæ macula in hoc Sole deprehendetur, qui lumen nobis ministravit, ad aliorum Symbolorum nævos detegendos? Attamen, primo non habet hoc Symbolum pro fundamento *Perfectam Metaphorâ Proportionis*. Etsi eim *Homo* & *Histrix*, Substantiæ sunt diversorum Generum, tamen effectus *Ferire*, non est *Proprietas similitudinis* inter Genus utrumq; analogû, qualis, verbi causa, esset, *Serenitas Solis*, & *Serenitas Pacis*; *Acumen Gladii*, & *Acumen Ingenii*; sed, est *Proprietas ejusdem Generis Phisici*, quomodo se habent, ferire jaculo, & terire gladio. Deinde, *Proprietas cominus & eminus ferendi*, non solius *Histricis* affectio est. Nihil enim impedit, quominus Lemma hoc inscribas *Hasta*, aut *Bombarda*, maxime vero *Machina Archimedis*, quæ cominus & eminus feriebat; ut sic depingere liceat illam ipsam Machinam, Livio prædicatam, verbis propriis adjectis: **EMINUS ET COMINUS**. Denique, magno defectu laborat Symboli Corpus, neutiquam objectum nobile, quod de Persona in modum *Metaphorarum* honeste enunciare possit, representans. Cum enim *Histrix Gallis* dicatur **PORC-ESPIC**, Italis **PORCO SPINO**, atque ipse *Claudianus* sic eam nobis describat:

*Oslongius illi*


*Assimilat Porcum : mentita cornua seta :*

apparet, non posse digne hanc formari Propositionem *Metaphoricam*: *Rex Ludovicus est porcus spinosus*: prout recte dicitur, *Achilles, est Leo*.

### CONCLUSIO ARTIS SYMBOLICÆ.

Concludendum itaque, non esse humanæ opis, prædictas perfectiones omnes, in unum Symbolum redigere. Conceptio namque *Argutia*, est operatio quasi momentanea intellectus, quæ a Natura, Arte, aut Afflatu aliquo divino, foecunditatem accipit. At, humanus intellectus, cum finitus & limitatus sit, in momento unico, tot perfectionibus perveſtigandis vacare non potest. Porro, multæ illarum Perfectionum, juxta consistere nequeunt, ut idem hic, quod in *Vulvibus* accidat: **Flamma**,

vis *Oculi nigri & micantis*, venerationem concilians, excludit comitatem *oculi glauci*, generantis amorem. Perfectio *comarum albicantium*, quæ illas filis aureis assimilat, segregat beneficium, quod in candore vultus provehendo, præstant *coma nigra*. Sic in Symbolis, *Corpora maxime Nobilia*, nimis sunt *Vulgaria*; *Peregrina*, minus cognita habentur; quæ, *depicta*, egregiam speciem præbent, eam, *sculpta*, penitus amittunt. *Lemna aptum*, non erit *Autoris*; quod *ex Autore depromptum*, habebit aliquid superflui. Sensus *Plani*, vulgares evadunt; *Eruditi*, desinunt esse *Populares*, eademque reliquarum *Perfectionum* est ratio.



In multam noctem rerum pulcherrimarum sese protraxerat lectio, nobis minime advertentibus, ita penitus defixi eramus, in meditatione eorum, quæ *Eruditissimus Thesaurus* fuerat commentatus. Cum vero finem fecissemus legendi, non habeo, ait *Stoberlinus*, quod in his desiderem, omnia non docte tantum, sed & ex vero scripta videntur. Hui, quanti est sapere! nunquam credidissem, ad *Symbolum* conficiendum tanto apparatu opus esse. Vocato vero famulo, cum cognovisset, noctis mediû instare, etsi modus, inquit, ponendus est nostræ lucubrationi, non tamen te dimitto, nisi prius ostenderis *Symbole*, quæ tute composuisti. Tum ego: Postquam *Thesauri* leges perspectas nunc habeo exploratasq;, nimis, miser, mea me opinione delusum sentio, nec possunt *Symbole*, quæ effinxi, reprehensionem effugere, itaque non est cur ea frustra in medium producam. Instabat tamen valde *Stoberlinus*, ut promerem, quod animo conceperam, vel eam maxime ob causam, quo ingenium periclitaretur, num errores clanculum fortasse latentes, in apricum posset educere. Ego, qui *Amicis*, nihil eorum, quæ honeste petunt, denegare soleo, & quia magno probro futurum non erat, si in eo, quod *Thesauro* iudice, nemo unus in hanc diem effectum dare potuit, quodque adeo effectum dari non potest, & ipse defecissem, sic ore meo effabar:

Est in *Ratisbonensi Vrbe*, Vir *Emendatus & Gravis*, ac inter præcipua *Germaniæ ornamenta* numerandus, *JOH. LUDOVICVS PRASCHIVS*, quem, omnes *Boni* certatim, & tamen æqualiter

amant. Consummata illi prudentia , consummata eruditio, cumque & CONSVL sit illius Reipublicæ, & PROTOSCHOLARCHAS in utroque officio sedulum & intentum se præstat, perpetuoque studet, ne quid CIVITATIS SCHOLARVM QVE commoda, detrimenti patiantur ; quin potius in vota tutelamque, tam illius, quam harum , majorem quotidie induit sollicitudinem. Ejus *Cognomen* videtur derivatum a voce *Bract* / quæ speciem aliquam Canum, Italis quoq; *Bracco*, Gallis *Bracque* dictam, designat , certe *Canem ejusmodi habet in Insignibus Gentilitiis* , atq; celebravit hunc suum Canem, XXXIV. Epigrammatibus elegantissimis, quæ typis descripta, passim circumferuntur, & eruditorum laudem promeruerunt, quibusque Insignia præfiguntur. Cum ergo PRASCHIVS saluti Urbis, Scholarumque, inconnivis oculis assidue semper invigilet, quadrat in eum apprime pro Symbolo, CANIS VINCTI, OSTII OBSERVATORIS figura, quam, ceu dixi, ostentat in Insignibus, qua, inter mortalium cœtus est noscibilis. Huic adscribendum censui, illud Virgilianum, ex IX. *Eneidos*:

FIDVSQVE AD LIMINA CVSTOS.

At, nunc,

— *Major rerum mihi nascitur ordo,  
Majus opus moveo.*

Scilicet, inter eos nomen profiteor meum, quos heroica illa Fortitudo ; cujus novum & inusitatum hætenus exemplum dedit, SERENISSIMVS ET POTENTISSIMVS BAVARIÆ ELECTOR, ex admiratione rapuit in stuporem. Quam enim in expeditionibus hæc iteratis adversus Turcas, opere strenuum, corde impavidum se præstitit, & inter confertissimos hostium cuneos,

— *per obstantem castrorum  
Explicuit sua victor arma!*

Narravit mihi Frater, qui spectavit, eum semper in agmine Ducem, in acie commilitonem fuisse, & subiisse, quicquid laborum, conatum, discriminum, virtus humana capit. Quoties confli-gendum erat, spirasse in vultu Martium furorem, & quaqua progressus est, terrorem, fugam, vulnera, cædem, tulisse in inimicos.

Itaque



Itaque vidisse circa eum, debiles integris implicitos, equos suffos-  
 sos in cruore lapsantes, trunca capita, succifos poplites, ægre spi-  
 rantia, aut, quæ sanie taboque fluebant, cadavera; audivisse, mori-  
 entium gemitus, fugientium clamores. Huic ego DIVINO PRIN-  
 CIPi non parcus ejus venerator, Scutum in Gloriæ templo appen-  
 do, quod LEONEM refert, cui amplum caput, magni & eminentes  
 oculi, villosa supercilia, inflatum collum, tumida cervix, effusa  
 juba, cauda prægrandis, firmum pectus, os sævum, & ex immani  
 animantium strage sanguinolentum. Adjungo, hoc dignam  
 epigraphen, Maronis verba, ex Æneidos IX. deprompta:

FREMIT ORE CRVENTO.

Est Leo, propria BAVARI ELECTORIS nota, habet enim illum in Insignibus, suntque eorundem Insignium Leo-  
 nes duo Telamones. Vnde haud aliter, ac visa Aquila bicipiti,  
 Imperatoris, ita cum Leo, tanquam Insigne ac indicium in Ger-  
 mania objicitur, BAVARICI OCTOVIRI cogitatio, men-  
 tem omnium hominum occupat. Hinc, cum Johannes Bisse-  
 lius, Vir, e Societate Jesu ingenio excellens, & sermone diser-  
 tus, quemque familiariter dilexi, Incluti MAXIMILIANI, Avi  
 ejus, quem nunc colimus, Principis, Expeditionem, Pugnam, &  
 Victoriæ Pragensem libro complexus esset, *Leo Galeatus*, illi no-  
 men dedit. Jacobus Schmidius vero, ex eadem Societate Presby-  
 ter, eum sacrum sermonem, quo FERDINANDO MARIE, Magno  
 Parenti PRÆSENTIS ELECTORIS, pro suggestu parentave-  
 rat, typis excudendum dedisset, incripsit eum: *Chur. Bâyrische  
 Löwenhaut/bald trucken/bald naß.* Denique, Nobilissimus  
 Praschius, in eleganti Idyllio, quo his proximis diebus Recupera-  
 tionem Budæ celebravit, cum nostrum PRINCIPEM significare  
 vellet, haud alio quam isto sermone usus est:

*Cernis & in media generosum pube Leonem,*

*Et Boicas acies, & carula tendere signa?*

Atque hæc, mi *Stoberline*, sunt illa Symbola, quorum excogitatione  
 non nihil mihi placebam, sed quibus, postquam Thesaurum reco-  
 limus, multum ex venustate, qua pollere ea arbitrabar, decedit.

*Stoberlinus* contra, aut valde fallor, aiebat, aut quod tute existimas multum esse, perparum erit. Indormiam autem hisce, & pace quod fiet tua, crastina luce, feram meum qualecunque iudicium. Cum me hoc enixe velle dixissem, bene valere iussu Amico, in diverforium me recepi.

Cæterum, credo hunc somnum oculis non vidisse suis, quamprimum enim rosea Aurora, jubare suo prominere, & Solis adventum nunciare cœperat, adest, qui me quieti adhuc traditum excitans, legere jubet, quæ *Stoberlinus* scripserit. Notaverat is in Scheda breviter, PRASCHIANI SYMBOLE Lemma, valde quidem sibi placere, quia verba,

FIDVSQVE AD LIMINA CVSTOS,  
apud Poëtam, conveniant *Antiquum in Buten*, qui

—————  
*Dardanio Anchise*

*Armiger ante fuit*, FIDVSQVE AD LIMINA CVSTOS,

*Tana Comitem Ascantio pater addidit:*

Sed, habere nihil secius hoc incommodi, quod rō QVE, abundet ac otiosum sit, atque sic peccetur adversus Thesin Thesauri XXII. Possē etiam cui videri, quasi DECORIS negligens sit Symbolum, quod Thesi ultima, ille, quem Autorem sequimur damnat. Porro, in ELECTORALI SYMBOLO, sese id quam maxime desiderare, quod Verba,

FREMIT ORE CRVENTO,

jam ipse Virgilius de Leone enūciavit, non posse igitur me; sensu eodem illa accipere, citra violationem Thesios XXIV. Esse enim, hunc orationis nexum apud Poëtam:

*Impastus cœplena Leo, per ovilia turbans*

(*Snadet enim vesana fames*) *manditq; trahitq;*

*Molle pecus, mutumq; metu;* FREMIT ORE CRVENTO.

Amplius, in utroque Lemmate deficere ANTI THESIN, quam exigit Thesis XXV. Præter hæc autem, non reperire sese, quod carpat, & congruere satis Symbola ista, ad reliquas Thesauri leges omnes.

Erant hæc, ipsa illa, quæ animo meo prævideram, objectari mihi posse; itaque agnoscens, hæere mihi aquam, de Symbolis cu-

ram penitus abieci, et si non nihil dolebam, me gemina spe, ingenii nimirum ostendendi, et captandæque rarioris Monetæ Auræ, decedisse. Non igitur ad *Stoberlinum* reversus sum, sed, quia quicquid negotiorum incubuerat, expediveram; itineri me rursus committito, conscendoque solus carpentum.

Verum enim vero, cum nemo adesset, qui me interpellaret, atque ego, in illo longo aliquot horarum otio, resupinatus unam rem ex alia meditarer, subibant simul mentem varia Poëtarum dicta, uti soleo, cum vacat, iis quæ puer didici, nunc senectæ propinquus, memet oblectare, & Veterum aurea dicta recolendo, vitæ, quæ subinde obijciuntur, molestias dispungere. Cæterum, forte fortuna recordabar versuum quorundam, qui effecere, ut gaudio pæne exsilirem. Animadvertēbam enim, suppeditare eos mihi nova Lemmata meis Symbolis, & ea quidem, in quibus nec *Stoberlinum* noster, nec alius fortasse habiturus sit, quod admodum in vitium rapere queat. Nec mora, Altdorfium delatus, sum to in manus calamo, ad *Stoberlinum* raptim, & dum calor adhuc manebat, epistolam exaro, in hanc sententiam:

Quod in SYMBOLO PRASCHIANO DECORIS me non usque quaque observantem fuisse existimas, id neutiquam tibi concesserim. Cum enim Flos Virorum PRASCHIVS, Canem gerat in Insignibus, nihil obstat, quo minus per translationem aliquam, de eo, fidum hoc, & quod Nobiles æque, ac vulgus hominum in pretio habent animal, in Symbolo prædicetur. Est enim, secundum Thesaurum nostrum Thesi XVII. inter Insignia & Symbola perparum discriminis, neque illa, dummodo recte & cum iudicio excogitentur, figuras aliquas veras & in rerum natura existentes admittunt, quæ ab his excludantur. Et vero, Cani id tributum, ut inter fixa sidera, primo loco poneretur; imo, apud Ægyptios, Hespero quoque prælata ejus Stella, Isisque, quæ, cum Osiride supremum iis Numen erat, nomine fuit insignita. Nec minus iidem, Anubin, Osiridis filium, canino capite, ceu vel in Obeliscis qui Romæ supersunt, cernere est, figurabant, quem exinde latratorem, Virgilius vocavit. Cares, Marti; Romani, Rubigini; Samo-

thra-

thracæ, *Mecatæ*, Canem immolabant; quin, omnes Græcos, in facris expiatoriis Numinibus Canem obtulisse, Plutarchus autor est: τῶν δὲ κυνῶν πάντες, ὡς ἐπὶ αἰπῶν, ἔλληνας ἐχρῶντο καὶ χρῶνται μέχρι νῦν ἔτι οἱ σφαγίῳ πρὸς τὰς καθαρὰς. *Cane vero universi, ut sic dicam, Græci usi sunt, & etiamnum ex parte utuntur, ut victima, ad Expiationes.* Dignum notatu, quod Mennenius, libro de Ordinibus Equestribus prodidit, *Canis Ordinem* a Buchardo IV. ex Memorantia Familia, primo Galliæ Barone, institutum; qui, cum Philippo I. Galliæ Regi, vel potius Ludovico filio ejus, a quo Arce quadam privatus erat, quod Adrianum Abbatem S. Dionysii bello vexasset, reconciliatus esset, Anno MCII. Lutetiam venit, magna comitatus caterva Equitum, quibus omnibus *Canis Insigne* de collo pendebat, ad fidelitatem suam demonstrandâ. Quin, nec ipsam *Canis* appellationem a se alienam judicarunt, viri genere & potentia spectabiles. Certe Calebi, qui pietate sua, ex omnibus Judæis Ægypto egressis, solus cum Josua promeruit, ut Palæstinam adiret, nomen, Hebræorum lingua, nihil nisi *Canem* significat. In Scaligerorum, Veronæ & Patavii Dominorum antiquissima profapia, *Canis Mastinus, Canis Franciscus, Canis Grandis, Canis Signorius*, sese offerunt. Et, ne peregrinis longiusque petitis rebus, nimis immerer, sunt in Germania Familiæ Nobilissimæ, quæ a *Cane, Hund*/cognomentum habent; idque vel simpliciter, quales in Silesia & Stiria agunt; vel, cum additamento aliquo, prout in Bavaria offendimus die *Hunde von Lauterbach*; in Hassia, die *Hunde zu Kirchberg*; ad Rheni ripam, die *Hunde von Solheim*. Occurrunt similiter, die *Hunde von Wendheim*/quorum memoria, pessime omissa est, in opere Insignium non Sibmacheri tantum, sed & Fürstiano, cum tamen *Georgium Hund de Wenckheim*, superiore Seculo ultra medietatem provento, Magnum Magistrum Ordinis Teutonici fuisse constet, cujus Insignia exhibet Joh. Caspar Venator in Historia Ordinis Teutonici l. 3. c. 16. De DECORIS igitur neglectu, nihil est, quod dicas mihi. Attamen, ad particulam *QVE*, in verbis, *FIDVSQVE AD LIMINA CVSTOS*, quod attinet, tibi assentior ac libens, vitiare eam Symbolum,

cum sit superflua, otiosa, & inanis, nihilque ad sensum conferat. Vulgo id quidem non attenditur, nam, Vir ille Optimus, cujus in universam Literariam Rempublicam, & si hoc adicere licet, in me quoque merita, nulla unquam delebit oblivio, JON. CAPELLANVS, pro Symbolo urebatur Ave, quam Aquilam esse credo, alarum remigiis in cœlum enitente, cui inscripserat:

## VIAMQUE AFFECTAT OLYMPO.

Extat Symbolum, in Augustissimi Franciæ Regis honorem, & memoriam XII. Urbium, una expeditione Anno MDCLXXII. ab illo captarum, quasque his nominibus Galli enunciant, *Bomel, Orsoi, Reuzberg, Wesel, Emerick, Schinck, Arnhem, Doesborg, Zutphen, Deventer, Nimegue, Grave*, effictum, in quo, Apollo currum suum lætus agit, habenasque equis spumantibus laxat, lemma habet,

## SOLISQUE LABORES.

Sed, quia in præsentia, eam, quam Thesaurus exigit, summam *dux* venamur, non diffitebor, talia nobis præsidio esse non posse. Venit igitur mihi in mentem, lemma aliud, quod ex Tibulli lib. 1. El. 3. priori substituere liceret, Canique PRASCHIANO addere, æque aptam ac convenientem inscriptionem:

## EXCVBAT ANTE FORES.

Enim vero, aut valde fallor, aut nec hanc admodum probabis, quia Tibullus, in Cerbero describendo ea verba adhibuit, ut sic, quod semel de Cane jam dictum fuit, de eodem in Symbolo iterum enunciare, lege Symbolica prohibeamur. Nimirum, sic est apud Poëtam:

*Tum niger in porta Serpens, tum Cerberus ore*

*Stridet, & aratas* EXCVBAT ANTE FORES.

Quanquam autem, si Thesauro iudice, qui, fictas & veras res, toto genere a se invicem distare, merito pronunciat, certaremus, superior fortasse abirem, nec omnino Genio Symbolorum adversum est, quod de humani cerebri inventis, Poëta aliquis expressit, Naturæ operibus tribuere; tamen, & ego agnosco, Canem fictum, pro Cane valere, Canemque dici, & tute in eum mihi statim denique redigendus es, ut nihil penitus habeas, quod obloquare. Ecce

ribi novus *Lemma*, & rursus Divini Maronis verba, ex IX. *Aeneidos*:

PORTÆ CVSTOS ACERRIMVS.

Apud Poëtam de *Niso* Euryali socio, quibus ambobus portæ turbis tutela commissa erat, prædicatur, quod nos, ad Canem, ornata concinnitate transferimus. Atque, nunc eas, o Noster *Stoberline*, & *Theauri* præcepta, cum emendatò sic PRÆSCHIANO Symbolo componas, volvasque omnia & revolvās, ne hilum, fat scio, invenies, quod præter Antithesin, de qua mox dicendum erit, desideres. Macerate quantum libet, & a me interim cape verficulos;

EXCVBAT ANTE FORES *Musarum* Præschius, *idem*

*Est Patria prudens*; FIDVSQVE AD LIMINA CVSTOS;

*Sic gemina* PORTÆ, CVSTOS ACERRIMVS *audis*.

Cæterum, nec majus & altius illud ELECTORALE SYMBOLVM, ego decoquam. Saltem igitur, illud, FREMIT ORE CRVENTO, hoc mihi conferet, ut nemini dubium sit, in Leonem verba summopere, imo unice quadrare. Jam ergo, si Lemmati huic ex I. *Aeneidos* vocolam superaddam, ut Fortissimi BAVARI ELECTORIS LEO, nunc pro Inscriptione ferat illud, de *Furore* a Poëta prolatum:

FREMIT HORRIDVS ORE CRVENTO:

palam vidēs es, habes, & herbam mihi porrigas necesse est. Nisi forte huc evadas, in libris nostris excusis, *Fremes* communiter legi, non *Fremis*. Quod, etsi leve cuiquam videri queat, tamen mihi ne utiquam negligendum fuerit. Monendus autem es, in nostro bonæ notæ Codice MS. cujus tibi, quamprimum expetes, copiam promte faciam, *Fremis* perspicue extare, non *Fremes*; atque prius quoque, orationis apud Virgilium compages, quodammodo postulat, quæ talis est:

*Furor impius intus*

*Sæva sedens super arma, & centum vinctus ahenis*

*Post tergum nodis*, FREMIT HORRIDVS ORE CRVENTO.

Habet verbum *Horridus* ἐβέβηται ingentem, Symboloque extremam conciliat speciem, dum non minus Leonis, quam cujus imago est,

go est, ELECTORIS Srenuissimi, truce[m] in hostes vultum, minaces oculos, rigentes crines, ira quatiens sese lacertorum toros, graphice nobis depingit. Licebat quidem, salvo sensu, exprimendo vocem HORRIDVS, tollere vicissim verbum CRVENTO, ne ternarium vocum numerum Lemma excederet. Sed, iste, Thesauri autore, minime ad essentiam Symboli perfecti requiritur, & habet omnino quaternarius, illo, in Thesi XXII. & XXV. arbitro, locum, si verbis omnibus opus sit, ad actionem, five proprietatem Corporis, explicandam. Accidit hoc utique in presentia, nec potest conspici Os CRVENTVM, si (quæ, ceti Thesauri in Thesi XIV. persuadet, propria in Symbolis effigian- dis ratio est) in Scuto caletur Leo, aut carbone designetur, nisi ejus sermone fiat indicium. Id vero os cruentum, si abesset, nimum venustatis decederet Symbolo, cædes tum tantum futuras præfagiente, non jactitante peractas. Insulto igitur tibi *Amice*, rursus versiculis :

Scuto Bavarico inscriptum, FREMIT ORE  
CRVENTO,

Laude tua dignum credebam, non placet, inquis;  
Hoc ergo placeat : FREMIT HORRIDVS  
ORE CRVENTO.

Neque est, ut in hoc quoque Symbolo Antithesin abesse cavilleris: nam, circa eam unam, Illustri Thesauri eodem animo repugno, quo in cæteris omnibus obsequor. Quis enim, præter illum, sibi persuadeat, Heroas, dum magnum aliquid, & insigne in Symbolo significare volunt, per contraria id exprimere debere? Exigitur in Symbolo dictum acutum, ingeniosum, præclarum, solers, & non spon-te excogitatum, sed quasi entheum. Tale autem aliquod esse potest, citra Antithesin. Et sane, uti non inficior, in his Symbolis, in quibus argumenti natura & conditio, Antithesin admittunt, hujus quoque haberi debere rationem; ita, ad figuram aliam, quæ Antithesin respuit, hanc accommodare velle, stultum inceptu, stultum exitu esset, quod vitandum. Quin nec

in illo **COMINVS ET EMINVS** Ludovici Regis, cujus Symboli autoritate unice nititur Thesauri assertum, vera est Antithesis. Quippe, hostes cominus constituti, neutiquam eminus agentibus opponuntur, utrisque enim idem adversus Ludovicum consilium, eadem nocendi voluntas: & adeo Histrix quoque, eodem modo erga utrosque se gerit, omnes spiculis suis impetendo. Quapropter, si quid ego perspicio, extortorem & contortorem quodammodo agit Thesaurus, dum **LEMMA, COMINVS ET EMINVS**, pari passu vult ambulare cum istis: **PERIT, VT VIVAT: PERCVSSVS ELIVOR: INCLINATA ASSVERGO: NEC CITRA, NEC VLTRA: CONDUNTVR, NON RETVNDUNTVR: SI DEFERAR EFFERAR.** Scilicet, indicatur in his omnibus gemina actio, quarum neutra simul cum altera consistit, sed non nisi una exclusa aut cessante, alia succedit in locum. Longe secus ibi se res habet; una enim eademque actione Histrix defungitur, stant in una & eadem acie hostes inter se concordantes, nec aliud discrimen, quam quod quidam propinqui sunt, alii remotiores paulo, & post principia. Ipsa quoque Automorum loca, e quibus illud **COMINVS ET EMINVS** petitum esse Thesaurus censuit, mihi subveniunt. Dum enim Livius ait: *Sed, ea quoque pars, omni Tormentorum apparatu instructa erat: qua non EMINVS tantum, sed ET COMINVS telamitteret:* Dum ait Lucanus:

— *Sic undiq; septa Juvencus,  
COMINVS obliquus, ET rectis EMINVS hastis  
Obruitur:*

Antithesin quidem aliquam, exprimunt, sed quæ in aliis atque aliis tormentis, telorumque generibus, in alia atque alia hastarum vibratione fundatur, quale quid non observamus in verbis **COMINVS ET EMINVS**, quatenus ad Ludovici Regis Symbolum transferuntur. Quod si vero, qualiscunque contrarietatis umbra ad Anethesin Symbolicam sufficit, ne nostrum quidem **ELECTORALE SYMBOLVM**, ea privum esse, dici debet. Namque, **FREMIT HORRIDVS**, præsentis, **ORE CRVENTO**, præteriti temporis respectum habet, præsens autem, & futurum, per oppositionem segregantur.




Æquant ergo Symbola nostra, Ludovici XII. Regis Symbolum, imo, quod fidenter dicimus, illud antecellunt. Est Histrix, minutum & vile animal, nomine abjecto: Nostra animantia, sunt magnitudine insignia, nec alia magis Regibus in deliciis & ostentatione. LEONIS appellationem non ipsum supremum Numen, CANIS cognomen, non qui inter illustres viros eminere volebant, non generosi sanguinis Principes, defugerunt. LEMMA COMINVS ET EMINVS, hoc verborum continuo ordine, haud reperitur apud ullum Classicorum Autorum, ne quidem prorsa oratione utentem. Nobis, nostra, Divinus Maro, πολλῶν ἀνταξίως ἄλλων suggestit. Ludovicus Rex, minime Histrice erat noscibilis, nostræ figuræ, eos quibus affinguntur, accurate designant. Præterea, τὸ FERIRE, quod ad Ludovici Regis Symboli essentiam pertinet, Metaphora, sive Analogia penitus cassum deprehenditur, & eadem proprietate, de Rege, qua de Histrice effertur. In SYMBOLO PRASCHIANO, VOX PORTA, cum semel *offium adium*, in quibus habitamus, significasset, amplius per geminatam Synecdochen, & *Vrbem Ratubonensem*, & *Bona Mentis Liberaliumq; Artium officinam*, *Gymnasium ibi publicum*, designat, ea ratione, qua in Sacris Libris, (nec enim ad Profanos Scriptores provocabimus) *Porta Hierosolymorum*, ipsam Vrbem, & *Porta Templi*, ipsum Templum, frequenter inuunt. Cæterum, CUSTODIENDI actus, aliter a Cane, aliter ab Homine peragitur, quem iste corpore, hic mente, & animo præstant, unde prognascitur Translatio. In ELECTORALI SYMBOLO, τὸ FRÉMERE splendidissimam involvit Metaphoram, & de Leone proprie, de ELECTORE autem HERÖE, καθ' ὁμοίωσιν, & Analogiam, aptissime prædicatur. Imo, in hoc Symbolo nullum prorsus verbum est, quod non Translationem referat. Denique, Ludovici Lemma, æque ad alias res, ac ad Histricem quadrat, nostra, proprie, concinniter, & proxime, ad nullas prorsus quas rerum Natura sinu suo complectitur & fovet, præterquam ad eas figuras solas, quibus a nobis adjunguntur. Sic igitur omnes illæ Perfectiones, quas a Ludovici Regis Symbolo abesse queritur Thesaurus, in nostris palam locum sibi vindicant.

Bonum factum ! ostendam tibi *Stoberline Amice* , Symbolis nostris , Perfectiones insuper inesse duas , quas adeo Thesaurus ignoravit , quasque ab illo solerter animadversis perfectionibus reliquis , superaddimus velut in cūmulum . Nempe , Lemma P R A S C H I A N I Symboli , habet hoc singulare , quod non tantum Virgilius alio sensu verba illa adhibuit , sed , quod præterea in contextu orationis , nullo modo cohærent , atque ibi sejunctissima sunt , quæ nos apte connectimus . Nam , Virgilius quidem dixit :

*Nisus erat PORTÆ CVSTOS , ACERRIMVS armis ,  
Hyrtacides ( comitem Æneæ quem miserat Ida  
Venatrix , jaculo celerem , levibusq; sagittis .)*

Sed , hic cultus longe minor est , præ illo , quo ELECTORALIS Symboli Lemma gaudet , suumque culmen fastigiat . Non enim tantum Leonis immanitate efferati , actionem significat , verum etiam reapse exprimit , ac necessitatem imponit cuique legenti , ut ingeminando horrifonam Literam R . fremitum Leonis imitetur , atque terrorem audientibus incuriat . Proinde , ausim sperare , ELECTORALIS hujus SYMBOLI , subscriptores approbatoresque habiturum me non tantum homines omnes , sed & beatas Angelorum mentes , quæ DEO charum PRINCIPEM *custodiunt in omnibus viis suis , inq; manibus portant , ne forte offendat ad lapidem pedem suum* , efficiuntq; , *ut cadant a latere suo mille , & decem millia a dextris ejus* . Nihil enim certe quicquam nos egimus aliud , quam ut ad hypothesin transferremus , quod ipsum Æternum Numen , oré Regum Sapientissimi Proverb. XIX. 12. proloquutum est in thesi : SICUT FREMITVS LEONIS , ITA ET REGIS IRA . Sic jam denique , *Stoberline dilectissime* , satis superque me defunctum esse credo eo , quod mei erat muneris . Agedum , fac tu quoque , amabo , tua ut promissa appareant , Aureoque illo , quem valde expeto , Numo , me dona . Id nisi actutum præstiteris , Pomponium Secundum , tragœdiarum scriptorem imitando , *ad populum provocabo* .





## EXERCITATIO SECVNDA.

Revelatur Arcanum Steganographi-  
cum, cujus ope, Amici toto Orbe sejuncti, omnia  
animi sensa, celeriter, quin & plene planeque invicem communi-  
care possunt. Docet amplius modum, parandi Candelam, quæ,  
Homine aliquo vivo, assidue ardet, illo vero moriente, defetisci-  
tur, & lumen amittit. Suppeditat insuper, adversus Epilepsiam,  
Pestem, Hydropem, & Podagram præcipue, Vulnerata item  
quæcunque, nullis cognita, nova Remedia. Subjicitur  
Poëta Hebræus, de tuenda Sanitate.

GVSTAVO CARLHOLMIO

*Clarissimo Viro,*

JOH. CHRISTOPHORVS WAGENSEILIUS.

S. P. D.



Vanquam hæc, inter nos nupera notitia admodum  
est, tamen, & Virtus tua, Vir Clarissime, & eruditio,  
faciunt, ut non secus te amem, ac eos, qui multos  
modios salis mecum comedendo, amicitia munus  
egregie expleverunt. Quæ, dum dico, imprimis po-  
pulares tuos, Celebres, & bene de Republica Lite-  
raria merentes VIROS, JOHANNEM BILBERGIUM, & GVSTAVVM  
PERIN-

PERINGERVM, utrosque Regiæ Academiæ Vpsaliensis Professores dico, quos, uti præsentem summopere dilexi, ita absentium memoria, tenacissime animo inhæret, nec erit illa dies, quæ eam inde eximet. Commodum autem, tu me de iis certiore reddidisti, quæ maxime volebam, hoc est, frui eos sanitate perfectâ, vivere in summa existimatione, atque conjugibus, re familiari, prole denique pulchra auctos esse; talia enim, ob nimiam sejunctionem, quæ, ne literarum quidem commercium commode admittit, non satis perspecta ante habebam. Horum vero nomine, uti impense lætatus sum, ita prorsus gaudio delibutum me reddiderunt, quæ, de gratia immensa, qua apud Potentissimum Sueciæ Regem, Patronus tuus, Illustrissimus ac Excellentissimus Dominus ERICVS LINDSKIÖLD ex merito fruitur, deq; amplissima fortuna, honoribusq; ejus, dum ad Regii Consiliarii, Aulæque Cancellarii dignitates supremas euectus est, mihi commemorasti. Licuit olim ipsum, non me fastidientem, Argentorati primû, & postea Londini in Anglia, cum peregrinaretur, colere, idemq; nunc facio, mente pia & voto, Deum precatus, ut omnes cogitationes ejus, tam lætus sequatur eventus, quo æterna laude florentem virtutis suæ gloriam, incolumis & hilaris, indies magis magisque adaugeat. Sic nos, suavissimis sermonibus cibos nostros condimus, ut magis sapidi evadant, atque prout occasio fert, modo de divinis, modo de humanis, inter nos cernimus. Caterum, heri quidem in cœna, de modis occulte aliquid alteri significandi, colloquebamur, quorum cum aliquamultos alter alteri recensuisset, postremum id erat, ut ex me percontareris, quid mihi videatur de illis, quæ JOHANNES TRITHEMIUS Spanheimensis primo, deinde S. Jacobi apud Herbipolin Abbas, & Steganographicæ artis primus quasi magister, jactaverat in literis scriptis Gandavum, ad Arnoldum Bostium Carmelitam, quæ passim inter *παράδοξα* allegentur? Scilicet, prædicare in his Trithemium, posse se mentis suæ conceptum notum facere artem suam scienti, ad quamcunq; distantiam, ad centum miliaria vel plura, secure, sine verbis, sine scriptis, sine signis, sine nuntio. Posse se voluntatem suam indicare, sedenti in carcere, etiam longe absentem, quantumcunq; custodiatur al-

ter, etiamsi tribus milliaribus sub terra sederet: & posse se hac omnia latissime & uniuersaliter, quando, & quotiescūq; uelit, naturaliter, sine aliqua superstitione, uel adiutorio spirituum. Respondebam ego, subridens, quicquid Trithemius promiserit, non tantum præstiturum me, sed adeo, iis longe ampliora, magisque fidem mortalium superantia. Nimirum, dum mysteriis Steganographicis intendo, eadem simul opera posse me parare Candelam, cuius ea indoles, ut quoad homo aliquis superstes vitam agit, flammam suam feruet, illo autem fato suo proximo, exile ac tenue lumen spargat, idque, cum mortuo, penitus amittat. Cum animadverterem, laborare apud te assertorum fidem, meipsum corrigens, agnosco, inquam, Vir Optime, nimium me dixisse, quod ad ista præstanda me satis ualere professus sum paulo incogitantius, id enim non opis est nostræ, sed alterius artificis. Saltem tamen modum cognitum habeo, quo, & ista, & alia multa, æque portentosa, effecta reddi queunt. Atque, ne hæc quoque temere me affirmare arbitreris, ecce, do fidem, me tibi reuelaturum arcanum, cuius neminem unquam (uides quanti te æstimem?) conscium feci, quodque non aliter ac si ad Eleusinia mysteria pertineret, religioso per viginti amplius annos pressi silentio. Juvat enim tandem, coram te, imo & publicus,

*Facere tacitis conscias sacris faces.*

Interim, quia ista, viva uoce prolata, segnius percipiuntur, literis consignabo omnia, ut melius assequi, & seruare, illa tibi liceat. Is finis erat, nostri hesterni sermonis, atq; ego, nunc mea promissa exequi uolens, ut altius rem repetam, necessitate compellor. Non ignoras, Vir Doctissime, Trithemium Opus Steganographicum, quod meditatus fuerat, minime ad finem perduxisse. Ea, quæ ad nos pervenere, unice fere ad arcanos, per literarum elementa scribendi modos, attinent, quos ille, ne promiscue omnibus innotescerent, dæmonum terrificis nominibus ac adjurationibus, ita involuit, ut multi, qui in ista inciderunt, toti exhorruerint, & nihil, nisi male ominata uerba, & foeda ac nefanda carmina, oculis suis usurpare sese reputarent. Non fuit, ut alios complures taceam, aliter fere animatus, ipse *Daniel Schuwendernus*, hujus quondam

Academiae Professor non inglorius, ceu constat ex libello, cui praefigitur titulus: *Steganologia, & Steganographia aucta, (Geheime/ Magische/ Natürliche Red- und Schreibkunst. Durch Janum Herculeum de Sunde, sonst Resene Gibronte Runecclusam Hunidem, der Magie Naturalis besondern Liebhabern.* Hic enim liber, Schwenderum nostrum, ceu Anagrammatismus quoque arguit, habet Autorem. Minime igitur effugere potuit Trithemius, sinistra iudicia, et si in praefatione Steganographiae suae, qua, *Serenissimo Principi, Domino Philippo, Comiti Palatino Rheni, Duci Bavaria, Sacrae Imperii Principi Electori*, dicata illa fuit, solemnem hanc, gravissimamque, interposuit protestationis formulam: *¶ Dico ergo, & coram omnipotente DEO, quem nihil penitus latere potest, & coram Jesu Christo, unigenito filio ejus, qui judicaturus est vivos & mortuos, in veritate dico, juro, & protestor: Omnia & singula, quae in hoc opere dixi, & dicturus sum, omnesq; hujus scientiae vel artis proprietates, modi, figura, operationes, traditiones, receptiones, formationes, ad inventiones, institutiones, mutationes, alterationes, & universa, quae ad ejus speculationem, inventionem, consecutionem, operationem, & practicam, vel in parte, vel in toto pertinent, & omnia, quae in hoc nostro volumine continentur, veris, catholicis, & naturalibus principiis innituntur, fiuntq; omnia & singula, cum DEO, cum bona conscientia, sine injuria Christianae fidei, cum integritate Ecclesiasticae traditionis, sine superstitione quacumq; sine idololatria, sine omni pacto malignorum Spirituum, explicito & implicito, sine suffumigatione, adoratione, veneratione, cultu, sacrificio, oblatione Daemonum, & sine omni culpa vel peccato, tam veniali, quam mortali, fiuntq; omnia & singula, cum veritate, rectitudine, sinceritate, & puritate.* Sequuntur in hanc rem alia multa. Non frustra igitur quispiam miretur, quomodo acciderit, ut circa Trithemium, Eminentissimus de Scripторibus Ecclesiasticis Commentator, in hac eruperit verba: *Scriptis opus inscriptum Steganographiam, id est occultam scriptionem, quod opus prohibendum merito est, cum sit plenum perniciosi dogmatibus, ad Magiam pertinentibus, quod & ipse agnovit, & confessus est.* Et vero, postquam diu ancipites haesere mortales, nescientes quid Steganographiae facerent, commodum tandem dies nos docuit, rem omni-

pungit, alter id eodem momento sentiat, ubicumq; tandem terrarum sit, constitutus, quod ex naturalis Sympathia necessario provenit. Cum hac ita se habeant, ait Mercurius Marti: simul ac a nobis remotus, compunctiones aliquas in cicatrice senties, scito me unam e quatuor tesseris supra indicatis, tibi significaturum. Vt vero mihi constet, te compunctiones sensisse, tu quoq; punge aliquoties tuam cicatricem, ut ego pariter punctiunculas per sentiscam, & te vivere, & animum advertere intelligam. Dehinc, cum ex interjecto tempore, cicatricem semel me fodicare experiris, esto hoc signum, me valere; cum idem bis facio, me graviter decumbere: cum tertio, ad vula ad nos celerime, quia tua multum refert, ut presens sis: ad punctiones quatuor, cogita aliquem ex carioribus amicis tuis decessisse. Atq; sic de multis aliis monendis, fieri potest conventio. Ceterum, quam mira est hac ars, tam periculosa etiam deprehenditur. Etenim, si Mars in eo brachii loco quo vultus sibi inflixit, laderetur, male lueret quoq; Mercurius, eosdemq; cum Marte dolores, aut damnum experiretur. Quod si contingat Martem mori, metus esset, ne Mercurii brachium, putrescere occipiat, conjecturam rei prabente sequenti historia. In Italia reperuntur Chirurghi expertissimi, qui naso, aut parte eius mutilato, sic medentur: Denudat brachium agri in loco carnosae pelle, alligantq; vultu brachio, ita ut nasi residuum, cruenta carnem contingat. Dolor hunc ager sustinere cogitur, quoad vultus cum brachio coalescit, atq; tum Medicus excisso ex brachio carnis frustulo, id in nasum effingit, ac plane adaptat. Accidit autem aliquando, ut homo quidam opulentus, ex sinistro casu, nasi iacturam pateretur, itaq; hortati cum sunt Medici, nasum suppositivum admitteret. At ipse, dolorem metuens, solusis aliquot Coronatis, eo pauperem quendam egestate victum, permovit, ut suum sibi brachium ad medicinam faciendam concederet: atq; sic diviti, e pauperis brachio formatus nasus est, quo ille aliquandiu bene utebatur. Cum vero postea pauper ex morbo decessisset, atq; in sepulchro putresceret, divitiis quoq; nasus pariter corrumpebatur, ut necesse esset, quicquid a se mi adsciverat, rursus tollere. Quia igitur hac ars cum tanto periculo conjuncta est, non ea temere utendum. Attamen Mars & Mercurius liber a se possunt ab illa mutua noxa necessitudine, si partem cum infusio & inducto sanguine eximant. Haftenus Schwenderus, qui adhuc amplius, majus longe arcanum, ex Anglia ab Amico petatum, subjicit, sed a gre quodammodo, & post tergiversationem aliquam, ac ideo non nisi occultum scribendi modum adhibendum esse censuit. Quia tu, Cartholmi Eximie, in nostra lingua perdiscenda, sedulo occuparis, gratiam apud te initurum me confido, si eam rationem huc transcribam, qua Schwenderus mysterium suum occultavit, ut habeas in quo



aciem ingenii tui exerceas. Valebit istorum intelligentia, pro vero specimine, ingentis in Germanica lingua profectus, atq; hæc mihi si legeris, liquido Magister audies, & superasti plerosque Germanorum. Paraigitur te ad cognoscendum:

Zan wwen sudd greunn mict sih vinandet vereiniger bollee seiden zher iunldern aafen / dm ien Nonai mugustiz ziesen dweyer wluwed bied gusammet zmischn / dernaet histillich daem nisteh em zineunght demahl / win melhet binw seidh areum fd sen delbigen drn aaram ghenen jelaßn walbee / sin dues aeh seinen ein ean lifes jamie dhmt glun blased / eibr gt meinet sin vrend / sud wb eiderumr derges han steino / se cur ninen in den vher ret weisggun verd missen / wöchtin / eis we seined freunem nient / gimbg ds ear ean lifes auct eff but aenem sru / aerdnder ps efindm dhus tetz nleihn / gun siabee hin dr aen hined eann aat ds phabes gus aetheils sao ds een dir dim met ean lifes cun aiff dlide ged binget fucter ed simpfino dr ees vnded / anr dein wes suen btably dn ves zedeut / beicht aolhff sun / ano vlsd ardee walln suen btably zut arihuß. ano vlsd drfere eis eiset w's aas wenel jir.

Sed, manum porrigam, teque in labore adjuvabo, huc coram Latinam interpretationem afferendo : Cum duo Amici inter se congruunt, significaturos sese invicem, quæ scire juvat, amobus Augusti Mensis prima die secunda vena est. Vtrorumque Sanguis misceretur postea, fitque exinde oleum destillatum, quo brachium inungere oportet, e quo sanguis promanavit. Scalpella ad venæsectionem adhibita, Amici mutuo permutare debent, atque sicubi uni lubido est scire, quid rerum Amicus gerat, per unum brachium ferro vellicat, quod, alter sentiens, idem facere instituit. Oportet autem brachia secundum varias Alphabeti literas dispescuerint, atq; sic loco aliquo puncto, prodit se litera, quæ illi fuit assignata, quod idem de reliquis quoque obtinet, hacque ratione, quæ Amicus significare vult, evadunt notissima.

Permultum tribuit Schvenderus Arti huic, unde, suis clandest-

destinis expressionibus, subjeit: *Bemühe dich solches aufzulösen/es wird dich nicht rewen.* Vt autem de his dicam sententiam meam, principio illud tanquam fundamentum omnibus hisce per Sanguinem aliquid nunciandi modis, supponendum, inesse vim quandam Sanguinis communitati, quæ sese etiam in locis valde remotis exerit. Accipio hujus rei argumentum ingens, variolorum morbum, qui cum iisdem parentibus genitam prolem unam infestare occipit, alia quoque, et si longissime sejuncta, circa illud ipsum tempus, eundem contrahere solet. Fateor, non semper id fieri, etiam apud liberos, una simul agentes, in iisdem paternis ædibus. Sed, sufficit, plurimum hoc fieri, & possunt de reliquo, multæ in corporibus intercedere dispositiones, quæ impediunt, ne idem semper contingat, nec sinant fieri id, quod omnino accideret, dispositionibus illis remotis. Atque oritur hæc morbi communitio, fere unice in variolorum morbo, nempe, quia proxime Sanguinem afficit. Hæc vero vis Sanguinis, non ad infinitum extendenda est. Neque enim moriente fratre uno, alter continuo etiam extinguitur, cum sæpe adeo matres, infantibus intra viscera sua extinctis, & quibus nulla vita aut alimentum, nisi ex solo materno sanguine, supervivant. At, sentiunt tamen plerunque matres, si quid adversi accidat liberis earum procul constitutis, effervescente circa illarum præcordia Sanguine, & fortasse sentirent omnes, nisi subinde mentem aliquarum, labor intentior, dolor corporis, aut alia sollicitudo avocarent. In universum autem, quæ sit potestas communis Sanguinis, quousque, cur item ad hæc potius, quam ad alia sese porrigat, difficile fuerit definire, imo prorsus, *ἐκ τῶν ἀδυνάτων*. Spero interim futuros, qui, in Seculo nostro, tantopere naturæ rerum per experimenta scrutandæ intento, periculum faciant, num per Sanguinem æque, ac per epistolas, animorum sensa possint communicari. Vix tamen est, ut spes sit, a Schwendero præscriptos modos, magnum momentum allaturos, & circa primum, tria sunt, quæ scrupulum mihi faciunt. Etenim, leve vulnus, quale in hoc casu fieri jubetur, nullo negotio iterum cõit, nec relinquit post se cicatricem aut vestigi-

um, ac

um, ac proinde non constabit postea, ubi Sanguis fuerit immis-  
sus. Porro, Sanguis alienus, quem quis vulnere instillavit, non  
manet utique perpetuo secretus & distinctus a reliquo Sanguine  
ejus, qui illum admisit, sed illico fit utriusque sanguinis mixtura  
quædam, & confusio. Esto tamen, & cicatricem, sive notam aliam  
parari, quæ moneat, de intromisso Sanguine, & quoque constare  
sibi assidue Sanguinem peregrinum, saltem non verisimile fit,  
hunc aliquid operaturum, si nuda cutis aut cicatrix pungatur, nec  
fuerit Sanguis immediate affectus, aut lacesitus. De reliquo,  
fuisse in Italia, qui naso mutilos integritati restituerint, etsi multis  
ab omnium videtur, apud me tamen fidem facile invenit. Primus,  
nisi fallor, hunc medendi modum induxit, *Caspar Tagliacotius, Me-  
dicus Bononiensis*, circa finem prioris Seculi, cujus non tantum am-  
plum librum, *De nova Curtorum Chirurgia per insitionem*, æneis  
figuris omnem operandi modum repræsentantem, sed & statuam,  
dextra nasum tenentem, in Theatro Anatomico Bononiensi vi-  
disse me memini, atque hanc statuam, ob nasos restitutos ei posi-  
tam esse, narrabant, qui me introduxere. Enim vero, cum arbor  
aliqua, ex alia etiam heterogenea, rami vivi insitionem patiatur,  
utique consimili ratione, viva caro vultus, cum viva carne bra-  
chii, sive proprii, sive alieni, coalescere quoque potest. At, illud  
nemo mihi persuadebit, cum nasus ex peregrino brachio excin-  
ditur, tum eo, cujus brachium hoc, membrum fuit, moriente,  
etiam illum cui brachium comodaverat, nasi jacturam incurrere.  
Neque enim arbore, e qua ramus, alteri inoculandus avellitur,  
pereunte, ramus ille quoque exarescit, quippe, ex nova arbore, cui  
implantatus, succum, nutrimentum, & vim accipit, hujusque se-  
quitur conditionem. Idem & de naso adscititio putandum, qua-  
lis si puero pusillo adaptetur, quin crescente hoc, ad majorem  
quantitatem nasus sit perventurus, nihil ambigo, ac proinde non  
amittet vitam quoque, nisi cum eo corpore, cui adhæsit. Quanquam,  
quid verbis opus est? quotidie videmus Sanguinem, quem aut ve-  
næ sectio, aut cucurbitæ, aut vulnera e corpore prolicuerant, pu-  
rescere, citra noxam corporis unde emanavit. Imo, membra in-

tegra, a corpore aliquo, sive ad sistendam, ne sincera pars trahatur gangrænam, sive inter pugnandum, aut etiam a carnifice in supplicium, resecta, putrescunt conficiunturque, nullo ne dolore quidem minimo eorum, qui illis cogitur carere. Profecto, male consultum esset Judæorum genti, quin adeo periisset illa pridem, non radicitus, verum & eradicatus, ut cum Plauto loquar, si id contingeret, quod eventurum Schwenderus metuit. Scilicet, amputatur cuique infanti mari, recens nato, præputium, ac projectum in discum plenum arenæ, una cum hac, interdum in Synagogis sub Suggestu, quem ipsi Almemar vocant, interdum in loco alio quocunque (variat enim consuetudo, etiam in Germania) effunditur, postquam prius in arenam Circumcisor conspuat quoque Sanguinem, quem ore suo, ter vulnus in genitali membro exfugendo, attraxit, ne cæteroquin saniosus reddatur, si ibi fuerit relictus. Tantum autem abest, Judæi periculum aliquod verpis pusionibus ex præputio in arenis consumto metuant, ut potius id felicitatis salutisque omen ac momentum habere interpretentur. Ea res, vulgo parum cognita, tibi *Cartholmi*, cupido Antiquitatum Rituumq; Judaicorum, quia sic occasio fert, obiter declaranda est. Communiter a Christianis, Circumcisionis solemnia spectantibus, interrogati Judæi, quid sibi velit ista præputii resecti in arenam projectio? promptè respondent, indicari hoc instituto, ratas hæctenus fuisse, futurasque in temporum æternitatem, Dei promissiones, quibus Gen. XXII. 14. & Cap. XXXII. 13. pollicitus est, superaturam progeniem Judaicam, arenas quoque maris, immenso suo numero. At vero, istis, Rabini Sapientes, superaddunt alia mysteria Nempe, ceu est in Sohar Chadasch fol. 38. col. 2. valent Arena, Sanguisque, quem in hanc inspuat Circumcisor, ad placandum Numen, atque *הוא הוה* *Sanguis, Sacrificii cuiusdam vicem subit, arena vero, e terra constructi altaris.* Sunt amplius, Præputium, Sanguis, & A rena recens circumcisi pueri, ossa quasi Cerberi latrantis, placantque his *הוא הוה* *Serpentem primævum, ejus panis, secundum Esaiam LXV, 25. panis est.* Atque sic satis-

fit Salomonis præcepto, quo Prov. XXV. 21. hortatur: *Si esurierit inimicus tuus, cibatum pane, & si sitiat, da ei bibendum*: זהל כדו להנצל מן סמאל וכחם להגן מזיבוט הקבר ומחרבא דמלאך המות: quod iterum in Sohar traditum habetur. Id est: *Totum hoc peragitur, ne a Sammaële & Serpente primo periculum sit, & ut immunis quis evadat, a percussione sepulchrali, & a vastitate, quam Angelus mortis inducit.* Sed, præ his, magis etiam ineptit R. Eliezer in Pirke c. 29. cum ait: *היה ארץ ישראל לארץ ישראל לחי' ישראל חזר ומול אותם פעם שניה עב' מול את יודע שאין ישראל כמילין בתקנת חזר ומול אותם פעם שניה עב' מול את בני ישראל שנית וקבץ כל הערלות עד טעמה אותם כגבעה שנאמר יימול את בני ישראל אל גבעת הערלות והיו ישראל לוקחין את הערלה ואת הים ומכסין אותן בעפר המדבר וכטבא. בלעם הקוסם ראה את כל המדבר שלא מערלתן על ישראל חזר ומי יוכל לעמוד בזכות ברית דם המילה שהוא מכוסה בעפר על מי חנה עפר יעקב מכאן אמר חכמים מכסין את ערל הים: Id est: *Cum ingressi essent Israëlita Palestinam, ait Deus Josua: An ignoras tu Israëlitas neutiquam decenter satis circumcisos esse? aedum igitur, circumcide illos iterata vice. Prout scriptum est: (Jos. V. 1.) Secundo repetens, circumcide filios Israëlitis. (Paruit mandato Josua) & præputia omnia coacervans, ex iis collē effecit. Vnde sequitur, (v. 2.) Et circumcidit filios Israëlitis ad collē præputiorū. At, Israëlita sumentes præputia & sanguinem, eadem in deserti pulvere condebant. Cum ergo adventaret Bileam Pates, atq; omne desertum præputiis Judaorum repletum cerneret, ait: *Ecquis posset consistere adversus merita Sanguinis, qui ex Circumcisionis sædere provenit, atq; pulvere tegitur? Quo pertinet illud (Num. XXIII. 10.) Quis numeret pulverem Jacobi? Hinc, ortum esse tradunt Sapientes morem, tegendi præputium cruentum pulvere.***

Ut vero, ex diverticulo redeam in viam, non probavit sese nobis admodum primum Schwenderi arcanum Steganographicum, sed, nec alterum tale est, cui tuto confidere liceat. Siquidem, ab omni ratione alienissimum existimaverim, Kalendis Augusti, præ reliquis Anni diebus, id privilegii tribuere, ut non nisi iisdem, Sanguis arcano Steganographico perficiendo utilis, e corpore humano promanet. Atq; si omnino Kalendæ Augusti mo-

mentum habent, Julianane vetus, an nova Gregoriana illarum computatio præferenda? nisi forte Sanguinis *ἐπέγγρα*, se ad utrosq; Fastos attemperat, & æque Julianis ac Gregorianis favet, pro diversitate utentium. Nec minus absurda censenda est, illa utriusq; Sanguinis, quæ institui jubetur confusio. Quid enim hîc conferrat Sanguis ejus, qui alteri quid significare vult, respectu illius, cui id significatur, quam ut operationem totam turbet, aut impediat? Postremo, non docetur ratio, quæ ineunda sit, circa Sanguinis destillationem, quam, nisi quis cognitam habeat, nihil in hac arte proficiet. Quicquid tamen sit, insuat certe in Schwenderi hoc modo, rudimenta ejus rei, quam alius deinde, quisquis ille fuit, magis excoluit, & perduxit ad fastigium, veræque artis notionem, prout nunc subjiciam.

Annus nunc agitur secundus supra vigesimum, cum ego toto orbe celebrem Scorialiensem Bibliothecam in Hispania iustrarem. Monstrabat inter alia, *P. Gabriel de S. Hieronymo*, qui eam referaverat, mox Codicem prægrandem, manu exaratum, cujus elegans e tenui rubro corio ligatura, multo argento, circa oras & in medio muniebatur; erantque aliqua insculpta, e quibus constabat, Philippo III. Hispaniarum Regi opus dicatum fuisse. Prima pagina monebat, contineri eo Volumine, Theophrasti Paracelsi, Leonhardi Thurnheuseri, Cornelii Agrippæ, aliorumque, quorum nomina non recte teneo, Insignium Alchymistarum, schedas arcanas, quas nemini mortalium communicaverant, post obitus eorundem repertas, & congestas. Magna libri intus quoque species, scriptura auro interpolata eximia, hieroglyphicæ figuræ, accuratissime pictæ, pæne innumera. Capiebat me is cultus, etsi ex illis, quæ ibi descripta erant, quæq; raptim sic legebam, parum assequi concedebatur, erant enim Chymistarum oratione concepta & stylo. Dum vero, sic voluto librum, objicitur mihi figura pulcherrima, Anguium duorum coronatorum, mire tortuosis flexis colligatorum inter se & implicatorum, quorum alter alterius caudam ita admordebat, ut dolorem ex vulnere quisque sentire videretur. Adscriptus erat, auro minioque tinctis literis, Persii versus:

PINGE DVOS ANGVES: PVERI, SACER EST LOCVS! Dele-

Delectatus, & Anguam sinuoso curvamine, & monito, lubido me tentavit, locum totum perlustrandi, vix autem legere coepi, & illico, ad arcana, quæ ibi continebantur, obstupui. Rogabam igitur ILLUSTRISSIMUM DOMINUM FERDINANDUM ERNESTUM S. R. I. ABENSBERGIVM ET TRAVNIVM COMITEM, inmaturo fato ante hoc biennium mortaliū cœtibus ereptum, itemque GENEROSUM AC EXCELLENTISSIMUM DOMINUM JOHANNEM CRAMPRI-CHIVM A CRONENFELD S. MAVRITII ET S. LAZARI EQVITEM, etiamnum (atque talem eum Deus divitissime præstet!) superstitem, & Sacratissimi Imperatoris nostri, Consiliarii honore, itemque apud Foederatos Belgii, Ordines Legati munere fungentem, quibus tum junctus eram, moram aliquam in Bibliotheca traherent, quoad quædam, mihi valde utilia, ex illo libro excerpissem. Facile morem gerebant, pro eorundem perpetuo erga me favore, nec minus Bibliothecarius veniam, quam petebam, paucissima describendi, concedebat ac libens, quippe, placebat hoc ei, quod Græcæ Linguæ gnarum me deprehenderat, quam se solum, ex omnibus Hispanis, apprime tenere arbitrabatur. Ergo, dum abs me discedit, & cæteris, alia, maxime vero Volumina decem ingentia, quæ Philippi II. Regis jussu, Medici & Pictores quidam, in Americam profecti, ex quadrupedibus, avibus, insectis, piscibus, arboribus, plantis, fructibus, rebusque illarum regionum nobis insolitis aliis, adornaverant, ostendit, ego satis comoditatis nactus sum, ut in pugillares notarem sequentia :

Primo, paretur Alcohol Vini correctissimum, tempore Novilunii, & stet per unam noctem, sub dio, vase aperto. Postea claudatur, & in cella subterranea servetur. Quando vero secretum hoc artificium operari volueris, eligito diem tuam natalem, & in ipsa hora, (si fieri potest) qua in lucem es editus, curato tibi Venam Basilicam brachii sinistri aperiri.

Prius vero, in promptu habeas cucurbitam vitream, capacem circiter ℥ viii. smirideque signatam circa fundum, ad observandum sanguinis immissi pondus. Omnibus ergo rite peractis, cum jam punctum natale instat, instrumento novo secetur vena, ita ut e vena rectà in cucurbitam saliat sanguis, omni aëre excluso. In cucurbitam prius infusum sit, Alcohol ℥ ʒ modice cum cucurbita calefactum, sanguis immittatur ad pondus ʒ ℥. Quo facto, cucurbita statim claudatur, glutine vel luto convenienti, ne subtilissimi spiritus exhalent, & immediate vitrum ex Sanguine calente in furnum digestorium prius rite instructum, vel etiam tumulum vini, non nimis calidum ponatur, ferrum vero cruentum non abstergatur, sed una cum cruore servetur, & acies ejus alio ferro vel lapide, obtundatur. Hoc vero ferro mediante, perficitur secretissimum quoddam artificium Steganographicum, ut Amicus cum Amico absente, per centum vel mille milliaria, absque sermone vel literis internunciis, colloqui possit, quantum & quoties velit, licet ubi terrarum versetur, plane ignoret. Cucurbitam ergo intra 40. ☉. ne moveto, sed vivido & æquali calore continuo foveto, & interea temporis, videbis Sanguinem tuum naturali & spontanea fermentatione sese attollere, ut vitrum ultra dimidium fere impleat, & tandem rursus residere; & separationem



nem pati naturalem, ut in fundo stet liquor aureus, phlegma album superius innatet, & sic Natura pretiosum separet a vili. Has aquas, debite a se invicem separatas, scorsim remotis fœcibus serva. Separatio autem fiat sine igne, & aquam flavam divide in tres partes. Vnam, ut est cruda, reserva in vitro mundo, ad philtera & pocula amatoria conficienda, nec non ad Artificium Steganographicum magneticum, ut de usu ejus medicinali nunc taceam. Duas partes in balneo vaporoso rectificata, ut ab omni phlegmate liberentur, & in formam oleosam & spirituosam transeant. Id quod præstabis, ulteriori digestionē, & per redactam in balneo vaporoso rectificationē. Tunc paratam habeas lampadem vitream, cum siphunculo argenteo, & ellichnio, ex argenteis, vel aureis filis, aut etiam ex alumine plumoso, aut lapide fissili confecto. Huic indas de oleo tuo quantum vis, & accendas igne Solis macrocosmici ut moris est. Lampas hæc, reponatur ad locum tranquillum, & absconditum, & tam diu ardet sine olei consumptione, quam diu homo, e quo parata, vivit. Qui, quamprimum ægrotare incipit, sive adsit, sive absit, statim indicia præbet lampadis ignis moribundus quasi, & pallidus. Ipso vero moriente, simul & Lucerna extinguitur, nulla posthac arte reparabilis. Pars vero tertia illa liquoris flavi, ignis violentiam nondum ex-

per-

perta, Magnetem Amatorium, seu philtum præstat infigne. Nam, si de hoc liquore, guttæ quinque vel octo, in vino generoso dentur alicui personæ, sive vir sit, sive foemina, incredibili amoris desiderio eum tibi devincies. Quod etiam, in ferarum obsequio sibi conciliando, valet. De tertia parte liquoris flavi supra dicti, accipe, & da illud Amico tuo, cum quo imposterum artem istam exercere intendis, & procura, ut hoc oleo manum suam sinistram prius probe lotam & exsiccatam, continuo inungat, donec quicquid est olei, unguendo infusum fuerit. Tunc manus per triduum chirotheca obvolvenda, & ab ære frigido custodienda est. Interim, Amicus tuus, simili ratione ex sanguine suo confectum idem oleum, tibi tradat, ut manum tuam sinistram, pari ratione ut ille fecit, inungas. Quod, cum factum est, ab Amico accipito ferrum ejus phlebotomicum, prius stupefactum in lapide vel alio ferro, & e contra tuum ipsi porrigere observandum, per totam vitam. Antequam autem discedatis ab invicem, prius sinistrae manus singulos articulos, singulis Alphabeti literis pro arbitrio notato, ita ut articulorum in quatuor digitis interior & exterior pars, XXIV. Alphabeti literis respondeat. Itaque, si tu ferro tuo quod ab altero accepisti, manum tuam percutias vel pungas, illico sentiet alter, in ipso eodem articulo, quem pupugisti.

Quam-

Quamcunque ergo literam ad Amicum tibi scribere placet, hanc in debito suo articulo quære, & punge. Tum, alteri ad manus semper fuerit tabella palimpsesti, cum creta, ut paratus sit literas in manu sua dolore observatas, assignare, & omnibus illis collectis, ex animi sententia, per idem artificium respondere.

Nunc, de Usu Medicinali nonnulla veniunt observanda. Si de Oleo flavo  $\mathfrak{ss}$ . sæpius detur Epileptico, observatis tamen observandis, & in specifico vehiculo, morbum radicitus tollit. Imo, omnes ex cerebro oriundas infirmitates curat, Memoriam confortat, Spiritus animales creat, amissam loquelam restaurat, venena expellit, Sanguinem purificat, confracturas solvit.

Præterea, hoc Oleum in Hydrope, in Peste, in Febribus, Arthritide, & omnium viscerum, & totius corporis tum obstructionibus, tum putridis corruptionibus, excellens est remedium. Dosis ejus esto  $\mathfrak{ss}$ . ad  $\mathfrak{ss}$ . in convenienti vehiculo.

Aqua alba, quæ nihilo minus est nobilis ad prædictos affectus, remissius tamen agit. Oculorum præterea affectus plurimos, instillata curat.

Ex hoc Oleo Balsamus admirandus Antipodagræus paratur, sequenti modo:

$\mathfrak{ss}$ . Oleum Sanguinis humani prædicti,

Ossium humanorum  $\mathfrak{aa}$   $\mathfrak{zj}$ .

K

Mumiæ

EXERCITATIO SECVNDA.

Mumiæ veræ transmarinæ ʒiij.

Camphoræ ʒij.

m. f. Balsamus.

Unguentum Sympatheticum aduersus omnia  
Vulnera, sic parandum:

ʒ. Musci in Cranio humano reperti ʒij.

Axung. Human. ʒij.

Mumiæ veræ.

Sanguin. Human. āā ʒʒ.

Ol. Lini ʒij.

Rosar. ʒj.

Bol. Armen. ʒi.

Hæc omnia in Mortario vitreo vel marmoreo  
tamdiu permisce, donec unguenti formam adipisca-  
tur, deinde seruetur in pixide eburnea vsui. Si fru-  
stillum ligni in Sanguine vulnerati madefiat, & ite-  
rum exsiccetur, atque deinde in hoc unguentum im-  
mittatur, sanat omnia Vulnera, etiã periculosissima,  
absq; aliis adhibitis mediis, & absque dolore, siue pa-  
tiens præsens sit, siue absens; atq; si Arma quibus quis  
vulneratus, haberi queant, similiter hoc unguento  
inungenda sunt, & tanto facilius evadet curatio. Hoc  
autem observandum est, ut patiens singulis diebus  
mane, vulnus mundo linteamine, propria urina, ma-  
defacto, circumliget. Hoc Unguentum valet etiam  
ad dolores dentium, si dentes ligno fricentur, donec  
modicum Sanguinis ligno adhæreat, & illud lignum  
in unguentum reponatur.

Tantum, liber ille splendidus, & quantum conjicere licet, rum in orbe unicus, continebat; qui, sine dubio, cum Bibliotheca Scorialiensireliqua, ante annos non adeo multos, proh dolor! incendio conflagravit, haud unquam reparabili cum damno Rei Literariæ. Equidem, non ausim pro certo affirmare, præsens arcanum Steganographicum fuisse Trithemio cognitum, præstat tamen omnia, quæ ille se tenere jactavit, imò, & majora. Nostræ enim, quam prodidimus, secretæ artis beneficio, non tantum longissime remoti colloqui possunt, sed & duo, quorum neuter, ubi terrarum gentiumque alter degat, habet perspectum; ad quæ, Trithemianum mysterium, se, quantum apparet, non extendit. Medicinalia quæ annectuntur, ego quantivis faciendâ, nec successu caritura, firmiter animum induxi metum. Est in Urina hominis, magnum ad depellendos morbos varii generis, præsidium, atque noveram quondam in Austria, virum spectatæ existimationis, jam grandævum, qui nunquam tota vita, alio medicamento, quam urina propria in morbis fuerat usus, & semper convaluit. Ille, non minus medendi arte, quam rebus aliis famosissimus *Franciscus Josephus Burrhus*, quem Romæ Inquisitionis Officium captivum nunc detinet, Amstelædami autem agentem, conveniebam, se plurimum in morbis desperatissimis, ad remedia, ex urina sanorum puerorum rite parata, nec incassum confugere, serio asseverabat. Quantum Saliva sani hominis, si frequenter sorbeatur, etiam ad longævitatem conferre queat, in nupera Panegyri Academica, facunde, more suo, dissertuit, Nobilissimus Archiater noster *Mauritium Hofmannus*. Anne igitur minor nobis utilitas a Sanguine, rite adhibito, quo ipsius Dei, microcosmi hujus sapientissimi architecti indicio, vita, & salus ejus continentur, speranda fuerit? Et verò, ut de Unguentis Sympatheticis nunc nihil dicam, cum in Gallia & Anglia Medici Excellentissimi, per Sanguinis Transfusionem tam feliciter ægritudines extremas hactenus sanaverint, viderint ipsi, quod nos per humani generis, cujus tutelam agunt, incolumitatem, eos, (dimanabit enim sine dubio in publicum hæc Epistola)

obtestamur,annon facius sit,neglecto modo tam dolorifico,&pe-  
riculis pleno,imposterum Sanguinē Humanum per illam viam in  
Corpora nostra immittere,quam Deus & Natura pharmacis affu-  
mendis pararunt. Imprimis,cum in eo,qui transfunditur Sangui-  
ne,parva sit Spirituum copia,quos conferto agmine,Chymia,sua  
arte,in coagulū constipat. Subinde,hoc Noribergæ accidere so-  
let,ut cum alicui malefico a carnifice caput præscinditur,adsit E-  
pilepticus,qui ferventem e trunco ebullientem Sanguinem hau-  
rit,& deinde se in pedes conjicit quantum potest,curritque,quoad  
virium deliquium passus,concidit in solum; & accepimus,tales  
Epilepsiæ symptomata,haud amplius fuisse passos. Quo solo ex-  
perimento,multa,quæ divinum nostrum Fragmentum comple-  
ctitur,fidem accipiunt,& triplex robur. Dum Illi igitur Incompa-  
rabiles Viri,iis,quæ nos evulgamus,explorandis intenti erunt,nos  
vota pro successu faciemus,ut gloriosas Coronas,quas,ON HOMI-  
NES SERVATOS jam meruerunt,aliis super alias quotidie cumu-  
lent, & clientibus,dum Deus & Fata sinunt,firmam valetudinem,  
sibi parent immortalitatem.

Sic,uni promisso,utique satisfeci *Cartholmi Clarissime*,nempe,  
suppeditando tibi Arcanum Steganographicum,cum miris medi-  
caminibus. Sed,quia sanitatis tuendæ non minor ars est,quam  
amissæ reparandæ, faciam, ut veritas quoq; constet nuperæ polli-  
citationi,qua, *Libellum Hebraicum,de Sanitate conservanda*, me tibi  
traditurum sponderam, unde hunc pariter in præsentia super-  
addo. Attulit hunc quondam ad me, Viennæ in Austria,cum mor-  
bo implicitus decumberem,R. Sundel,inter Judæos, qui tum ibi,  
ante hanc expulsionem, in suburbio morabantur, præ aliis do-  
ctrina,ac candore, cujus opera,in obtinendis multis rarioribus li-  
bris, valde utilis mihi fuit,ac salutaris. Est hic libellus vorfa,atque  
sic difficili plane & concisa oratione,compositus,multaque insu-  
per Autor,etiam præter Grammaticæ analogiam, interdum sibi  
indulsit. Is,qualis fuerit,ipsum illum qui novam Cracoviæ ante  
annos non adeo multos editionem curavit,fugiebat, nec occurrit  
libelli,aut apud Buxtorfium,in Bibliotheca Rabbinnica,aut apud R.  
Schab-

Schabbetai Strimer, in recenti, & plenissimo de Judæorum libris opere, quod ספר שבתאי inscripsit, mentio. Possumus, citra dispendium, nomē Autoris ignorare, nec enim illius notitia, vel hilū erat profutura. Ex ipso interim libello, facile constat, fuisse Autorem Polonum hominem, sed ex Germanis ortum; quales iis in Regionibus multi sunt, tenaces, & Germanicæ linguæ, & institutorum, quibus Judæi apud nos victitant. Fortasse inter suos Medicum egit, nec enim alii Judæorum temere, quid sanitati conducat sciunt, aut Galeni nomen tenent, ad cuius auctoritatem noster provocavit. Non tamen est, ut credam, eum multum oleæ ac operæ in Galeno legendo consumsisse; Maimo nidem magis familiarem habuit, etsi librum, quem iste de Sanitate tuenda scripserat, ignoravit. Nam, hic, quantum mihi compertum, Arabica tantum Lingua extat, qua illum, sed Hebraicis literis descriptum, versavi in Bibliotheca Imperatoria. De ætate libelli nihil ausim pronunciare, & suspicio est, ad imitationem ejus, qui Schola Salernitana inscribitur, esse confectum, cujus etiam plurima præcepta refert. Etsi vero, hac ratione, nihil habet valde præcipuum aut eximium, juvat tamen scire; quomodo Judæi, gens, tantopere a reliquis mortalibus sejuncta, valetudinem suam curent; quin & nostra istis monitis juvari poterit, quibus ob reliqua studia, non vacat perdiscere, quæ plenius ac uberius, alii de hoc argumento sunt commentati. Maxime autem omnium, horum sedula lectio, tuos, mi *Cartholmi*, in Hebraica Lingua augebit profectus, quam tu, quippe catus, ac sapiens, vero pretio æstimas, habesque in deliciis. Hæc igitur, in mei erga te ferii amoris, monumentum & pignus, te benigne accipere velim, & mihi meisque in vicem perpetuo favore. Ita te Deus, per exterarum oras assidue salvum, sanum, incolumem deducat, reducatque olim in patriam tellurem, iis honoribus ma-  
ctandum, quos integer vitæ scelerumque purus, omnigenæ item  
eruditionis genere excultum pectus habens, promereris.

Vale. Scribam in Museo a. d. x. Januarii

A. CI O I O C L X X V I I.

רפאות תהי לשריך ונוי  
לוח החיים  
ביחיים הם למוצאיהם  
ולכל בשרו מרפא :

קצור הכהגת האדם בדרך הרפואה. לטמור בריאות גופו והוא עיקר גדול  
בעבודת הכורא יתם וכדי לזכות את הרבים הרפיקו מחדש סרצ הותיק  
האלוף במהרר חיים בלאא האלף כמזהרר בנימן זאב באכנר זלל מקרנאקא  
לפרט והוא יסקיט לפק : וזאת לפניס בישראל והסכימו עלת ראמי הרופאים  
כי כל דברים הם נעובים ימרים למוצאי דעת וזכאים :

בהסכמת החכש הגדול הרופא מומחה מוזהרר שלמה רופא דקק לובלין :

בהסכמת הרופא מומחה מוזהרר ממאלל בן מתתיה

רופא דקק לובלין



SALVTARE HOC ERIT VMBILICO  
Tvo, Et

# TABVLÆ VITÆ

VITAM ENIM PRÆSTAT INVENIENTIBVS  
EAM, TOTIQVE CARNI SANITATEM.

Brevis Introductio Hominis, in Viam  
Sanitatis, ad tuendam corporis valetudinem, utpote  
in qua, magnum momentum cultus, qui CREATORI, cujus No-  
men benedictum sit, debetur, situm est. Libelli eximia utilitas,  
ut pluribus communis redderetur, ideo novam ejus Editionem  
molitus est, Doctor Eximius, Princeps Eruditorum, Virque Claris-  
simus, R. Chajim, filius Viri quondam Summi, Præstantissimi, ac  
undique Celeberrimi, Benjaminis Lupi Bachner, f. m. Cracovien-  
sis. Accidit hoc, anno minoris nostræ computationis, quem con-  
tinet Symbolum  $\text{V}$  Ipse qVies Cit se CVrVs, aC tranqVILLVS.  
(1669.) Versabatur Libellus jam olim in manibus Judæorum,

atque consentiunt circa eum Medicorum Primarii, omnia

illius dicta esse Verissima, ac conducibilia piis

mentibus.

Consensu, Viri Excellentissimi, Medicique Expertissimi,

R. Salomonis, Medici Lublinensis.

Consensu item, Medici Doctissimi, R. Samuelis

Marathia, filii, Medici Lublinensis.

רבות פעמים אמר לקטתי מאמרים :  
 מספרי רפואות היקרים : מלבד מהאמר  
 שמעתי מפי מו' אביר הרופאים החסיד  
 מהרר אליעזר דיקן קראקא ; אכן לא  
 מצאתי להם היתר ; אם הם מותרים  
 להעלות בדפוס ולכתבם בספר : או  
 אם כאשר ספרים חיצונים כהטובים :  
 וצריך להרחיקם ונא תאמר להם כמו  
 נדות וזבים : אמנם שבתי ואמרת  
 בלבי : ועליה השלחתי יחבי : ועץ  
 בחטת כי אם יהיה הגוף בריא ושלם :  
 זהו מדרכי יי הוא לעולם : עד שנאמר  
 בכל דרכיך דעה וגו' : וכן כתב הרמבם  
 ז"ל בספר המדע פ"ד וז' שהי אף לאדם  
 סיכוי או מידע בידעת האל והוא חולק  
 לפי צורך האדם להרחיק את עצמו  
 מהדברים המזיקים את הגוף וכו' ע"ל  
 וכך הטור אף סימן קכ"ז וז' מזה להנהיג  
 עצמו לסמוך בריאותו כדי שיהיה בריא  
 לעבוד את ה' ע"ל : ובפרט הלומדים  
 והערים בהיותם תמיד בהסקט וועטט  
 תנועה והעמלה הלא יהיו צריכים יותר  
 להנהיג עצמם ע"פ סדר הרפואה כאשר יבא  
 אח"כ באר היטב : גם צריך האדם לדעת א"ע  
 מהאדם לפעמים אוכל ומותה דבר קטן

Cum collegissem plurimas  
 Sententias nobiles, ex præ-  
 stantissimis quibusque libris  
 Medicinalibus, præter eas, quas au-  
 diveram, ex ore Domini & Præce-  
 ptoris mei, Medicorum optimi,  
 Piiissimi Insignisque Viri, R. Elieferis  
 Cracoviensis, anxius deinde  
 hærebam, liceretne eas typis com-  
 mittere, & in librum redigere, an  
 vero in censum librorum profano-  
 rum referenda hæc essent, a quibus  
 abstinere, quosq; segregare oportet,  
 uti foeminas, quæ menses, & vi-  
 ros, qui gonorrhœam patiuntur.  
 Veruntamen, sedebam, sic mecum  
 cogitans, & talia animo volvens:  
 Vtique, cum sanum & integrum  
 est corpus, facit hoc aliquid ad Dei  
 æterni gloriam promovendam.  
 Nam, sic scriptum est (Prov. III. 6.)  
*In omnibus viis tuis agnosce eum.*  
 Et, sic scripsit quoque R. Moses  
**C**um identidem ab iis, qui in Academia hac Altdorfina vivunt, aut in ea moram aliquam egere, alibi degentes quærere soleant, verusne sit rumor, qui passim circumfertur, Magnum illum WALLENSTEINIVM, Megapolis & Fridlandiæ Ducem, illud verum utriusque fortunæ ostentum & prodigium; illum, Germaniæ totius, ceu vulgato, veroque ab omnibus nomine vocabatur, Dictatorem; illum, cujus (Hieremiæ Drexelii in Palæstra Christiana par. 2 c. 3. §. 2. & quod nisi iste prior hoc dixisset, pene referre trepidarem, testimonio,) quoties cum Imperatore Ferdinando II. cœnabat, æque ac Parentis manibus, *Cæsaris Filii aquam cogebantur infundere*; illum, inquam, talem tantumque postea Virum, tam duro & contempto vitæ initio usum esse, ut, cum adolescens literis hic operam daret, cum teter locus, qui que inter Carceres Academicos postremus est, & vulgo, *Antrum Caninum*, das *Hundsloch* dicitur, habuerit aliquandiu incolam? Hanc ob causam, iuvat publice tandem docere, quid sit in hac

hac



hac narratione veri. Merebimur sic gratiam, apud eos quoque vel maxime, qui historiam Seculi, ( in qua utique res ista, si ita se habeat, non negligenda fuerit, ) accurate meditantur. Et vero, non contigit se, fama hujus rei intra Germaniam, sed ad Exteros quoque pervasit, atque adeo, ab iis in literas relata est. Scripsit enim Georgius Fournier, Societatis Jesu Presbyter, Gallus gente, in Geographica Orbis Notitia l. 4. c. 26. *Altdorff g. 49. m. 25. Oppidem cum Academia, in qua carcer Scholasticis deputatus, dictus Hunds Cammer, s. e. Cubiculum Canis, Walefino olim notus.* Eo autem magis operæ pretium est, in fidem traditionis inquirere, quia non defuere apud nos Viri Insignes, qui, quicquid illius habetur, pro anili fabula explosere, negantes, Wallensteinium unquam in Academiam hanc pedem intulisse. Ut autem veritas se nobis ostendat, illud ante omnia tenendum est, Familiã, qua Fridlandiæ Dux editus fuit, minus recte WALLENSTEINIAM appellari, ac proinde nec ipsum debuisse *Wallensteinium* audire. Scilicet, a WALDSTEINIA gente natales trahobat Fridlandiæ Dux, quæ, prout a celebri & rerû Bohemicarum ante omnes gnaro Balbino, edoctus Autor Notitiæ Procerum Imperii l. 7. cap. 20. alios monet, propago olim seculis prioribus, erat veteris profapix Wartembergicæ. Namque fuit, quæ ipsius verba sunt, *inter Wartembergicos Zdeneko quidam, Primus dictus, qui, condita in sylvis ad civitatem Turnoviam Arce, quam ex re Waldstein nominavit, ad differentiam fratrum suorum DNN. de Wartemberg, Dominus de Waldstein appellari cœpit, idq. cognomentum una cum hereditate in filios, quos quatuor, An. 1236. d. 26. Jan. moriens, reliquit, transtulit.* Quamobrem, in iis, quæ deinde de Fridlandiæ Ducis originali gente, idem differit, haud tanti duxit, nomén illud depravatum Wallensteinius, cujus vel solã mentionem injiceret, sed, tum antiquos, qui Fridlandiæ Ducem præcesserunt, tum illum ipsum, & alios, qui hunc sequuti sunt, cum iis pariter, in magna hominum veneratione constitutis Optimatibus, qui etiamnum superstites vitam agunt, & aut legatione Cæsaris, aut aliis summis officiis funguntur, haud aliter quã genuino nomine Waldsteinios nuncupat. Quippe, Wallenstein & Waln-

stein, pro Waldstein, sine dubio, tantum in ore vulgi tam invaluit, cum Fridlandiæ Dux, commune terriculamentum esset, ac ejus nomen, etiam recens nati infantes, trepidis labris balbutirent: erat autem his, magis pronum *Walstein* efferre, quam Waldstein. Plebem incaute imitati sunt alii, ut jam Fridlandiæ Dux, nullo gentili nomine alio, quam Wallensteinii existeret noscibilis, eodemq; libris & memoriæ hominum fuerit consecratus. Venerabilis inrerim Spenerus l. 2. Operis Haraldici cap. 108. plurimum, Wallensteiniorum & Waldsteiniorum appellationem conjungit, & sic orditur de illis commentationem: *Wallensteiniam seu Waldsteiniam apud Bohemos Illustrissimam gentem, Celebr. Gabr. Bucelinus Germ. T. 3. p. 251. deducit a Johanne DN. de Waldstein seu Wallenstein.* Imo, nec egre ferunt, Illustrissimi Excellentissimiq; Waldsteinii Comites, si quis eos Wallensteinios appellet, quin, nec piget illos ipsos id nominis adhibere. Nam, in subscriptionibus Recessus Imperii Anni 1654. legimus: *Maximilian Grass von Wallenstein Herr auf Doprewitz / Stahl / Schwigen / Kloster / Grätz / Duchs / Oberfeuternsdorff / Lautschin und Neuens Waldstein / Unser geheimer Rath und Oberster Cammerer.* Quibus ita positis, jam, nullo negotio, utro patefcit, quare aliqui ex nostris, præfracte & pervicaciter negaverint, Fridlandiæ Ducem, unquam in hac Academia degisse; nimirum, quia nomen *Wallstein* in Matricula non reperiebant. Sed, certum est, fuisse illum Academia nostræ civem, quin & inseruisse nomen suum Matriculæ, primævum scilicet, verumque, & quo eum unice censebatur, idque Anno Superioris Seculi ultimo, Rectore Nicolao Taurello, Medicinæ Doctore & Professore, die XXIX. Septembris sic consignavit: ALBERTVS A WALDSTEIN, BARO BOH. Leve fuerit, nec responsione satis dignum, si quis objectet, solum *Alberti* nomen hic exprimi, cum tamen Fridlandiæ Dux, non *Alberous* tantum, sed & insuper, *Wenceslaus Eusebius*, vocatus sit. Nam, id tralatitium est, ut ii, qui multis gaudent nominibus, solum primum exprimant, nec aliud unquam Fridlandius, quam *Alberti* nomen, in subscriptionibus adhibuit. Vnde sic est in Numis quoque ejus: ALBERTVS DEI GRATIA,

DVX MEGAPOLIS FRIDLANDIÆ ET SAGANI PRIN-  
 CEPS VANDALIÆ. Quamobrem, solo quoque *Alberti* nomi-  
 ne, Fastorum & Annalium monumentis illum insertum esse, ma-  
 nifestum evadet Scriptores rerum hujus Seculi consulentibus,  
 e quibus nullius, præter *Abrahami Saurii*, ex *Theatro Urbium*,  
 verba, quia id præcipue merentur, adducimus: *Kaiser Ferdinand*  
*der Erste hat den Praesidenten in Schlessien / Herrn Friedrich von Redern /*  
*Anno 1558. Friedland verkauft. Dessen Nachkommen es unter der Re-*  
*gierung Kaisers Ferdinandi II. entzogen / und solches dem Kaiserlichen*  
*General Feld. Hauptmann / Herrn Albrechten von Wallen / oder*  
*Waldenstein gegeben / und er von höchstgedachten Kaiser zum Herzo-*  
*gen alhier / wie auch hernach zu Sagan und Groß-Glogau / gemacht wor-*  
*den. Proinde, nemo porro vocare debet in dubium, Fridlandiæ*  
*Ducem in hac Academia substitisse, nihil enim verius: atque, ceu*  
*ætate apud nos provectiores, a suis Parentibus acceperere, habita-*  
*vit in anteriore parte ædium, quas antehac Ludwellianas vocaba-*  
*mus, quæque, solo, ob vetustatem, æquatæ, meliores, quod bene*  
*vortat, nunc consurgunt. Sed, illud falsum, vanum, ineptum,*  
*confictumq; est, poena squalidi, & cui lumen ademptū, tenebricosi*  
*carceris, quod Antrum Caninum, das Hundstloch dicitur, in Wald-*  
*steinium fuisse animadversum. Bis omnino, coram Senatu Aca-*  
*demico reus comparuit Baro Waldsteinus. Semel. Anno MDC.*  
*die Januarii 9. quia Gothardum Livonem, gladio in pede vulnera-*  
*verat; ac necesse est, non magnum ejus fuerit peccatum, nihil enim*  
*facere iustus est aliud, quam, ut Chirurgo satisfaceret. Quippe,*  
*sic legitur in Annalibus Academiæ, quos Notarii, rerum semper*  
*majorem curam habentes, quam verborum, conficiunt: Den 9.*  
*dieß (puta mensis Januarii Anno 1600.) erschienen Baro a Wald-*  
*stein, und Gothardus Livo, welcher von dem Barone in Fuß gesto-*  
*chen worden. Darauf sie vereiniget worden / und hat Baro dem vulne-*  
*rato die Schäden ausrichten müssen. At, mox iterum d. 14. Januarii,*  
*dicâ grandem Waldsteinio impegit famulus, Johannes Recheberger,*  
*in quem, nullam ob causam, & tantum, ceu rursus priorum tradi-*  
*tionem ad nos perlatum est, quia otiosus per fenestram in forum*  
*prospectaverat, inhumaniter ita sæviit, ut flagris tuber esset totum*

corpus, & animam agere videretur. Atque, hoc est illud delictum, quod poena horridi carceris iusse Waldsteinium fama perhibet. Enim vero, are tantum mulctatus recessit, nec carcerem ullum subivit, Fisco, florenos triginta pendere coactus, cum famuli vero necessariis tutoribusque pepigit, ut florenos quadraginta quinque, pro centis, quos solvi sibi postulabat, admitterent. Excerpimus rursus ea, quæ de hac causa relata sunt in Annals. Den 14. diß (ejusdem mensis Januarii) wirt der Baro a Waldstein, qui famulum suum Joh. Neheberger loris mit ihm in modum tractasset, verklagt. Und weil er ihm so unmenslich gezeichnet / der Knab nach Nürnberg ad DD. Scholarchas geschicket. Hier auf den 19. diß der Herren Scholarchen Befehl erfolget / daß Baro deswegen der Acad. 30. Gulden straff geben / und sich mit des Knaben Freundschaft vergleichen soll. Baro beschweret sich dessen / fürwendend der Knabe wäre unfleissig gewesen / erbiet sich das Artzlohn auszurichten / und den Knaben zu einem ehrlichen Handwerck zu verlegen / und die zuerkandte Straff zu bezahlen. Hansß Bauers Meßgers Weib / begehrt an, statt des Knabens 100. Gulden vor die Schmecken / den Balbierer und der Acad. Straff bindan gesetzt. Einmal hat sich Dr. Baro mit seines Famuli Beständen / als Hansß Bestner Schneidert / und Hansß Bauer Meßgers verglichen / und vor alles hinweg 45. Gulden zu geben versprochen / darvon soll sich der Knab verkosten / und den Balbierer vergnügen. Mehr 3. Thaler vor seinen Lohn / dann ein Kleid dafür er geben 4. Gulden. Welchen Vertrag sie beiderseits angenommen / und damit zu frieden gewesen / auch allbereit 5. Gulden daran empfangen. Den 3. Februarii ist der überrest auf die 5. Gulden bey den Herrn Rektore deponiret worden / mehr vor das Kleid 4. Gulden / dann 3. Thaler Lieblohn / welche des Hansßen Bauers Weib / auf ihr häulen und weinen sind zugestellet worden. Den 9. Februarii hat Herr Rektor auf des Herrn Pflegers Bewilligung / des Jungen Schwester 4. Gulden geben. Den 17. Martii hernacher / ist auf Befehl des Herrn Pflegers / der Überrest / Christoff Ambergern Bürgern und Becken / als des Knabens verordnet Normunden zugestellet worden / deswegen er die Acad. quittiret. Ad hunc modum, ista gesta, & transacta sunt, nec ulla amplius Waldsteinii in Annalibus nostris occurrit mentio, ut verisimile sit, eum, post id factum, non diu in hoc loco permanisse. Dedisset enim cæteroqui, dubio procul, animi austeri, & naturæ immanitatis, quam, frequenter deinde in rebus gravibus exercuit, rudimenta plura. Fuit ergo, aliquando civis noster Fridlandiæ Dux, fuit & alius

& alius. (nam hoc quoque paucis adjiendum ex occasione) magna & numerosa multitudinis Antesignanus, Fridlandiæ Ducis æqualis temporum, quanquam ætate dispar, & popularis, origine quidem, fortunæque blandimentis longe inferior, non tamen animo. Is nimirum, qui post *Stephanum Fadingerum*, pileorum opificem, & *Achatium Willingerum* Sutorem, seditiosorum per Austriam superiorem Rusticorum agminibus, Anno MDCXXVI. præfuit, vir manu strenuus, audax, nec consilii expers. Cujus nomen, omnibus in quos nos incidimus, Scriptoribus illorum motuum, ignoratum, (haud enim aliter quam generali *Studiofi* appellatione ejus meminere) ut rursus Historicis bene consulamus, obiter vindicandum ab oblivione. Sic vero iste Anno MDCXX. d. 4. Maji in Matriculam nomen descripsit, DANIEL KUNDMANNVS REGIO - MONTANVS PROPE ÆGRAM BOHEMIG; in Oeconomia Academica, mensæ secundæ, ceu vocatur, obtigit beneficium. Fortasse stimulavit hunc, exemplum popularis Waldsteinii, ut & ipse eminere vellet, majorque ei propemodum, quam Waldsteinio, ab Historicis tribuitur imperterritæ mentis animositas. Etenim, de Waldsteinio, Baptista Nanius, Vchæta Reip. Senator gravissimus, & inter nostri ævi Historicos, judicio, integritate, rerumq; abditarum notitia agmen ducens, prodidit, quasi is, A. MDCXXXII. in Lucensi prælio, se non satis dignos spiritus gesserit: *Il Valstain fu minacciato più tosto, che ferito, da colpo di moschetto, che favorabilmente passò tra la funda, e la coscia, se bene al colpo non senza nota di soverchio timore, egli lasciassè cader si di mano le briglie, & il cavallo lo trasportassè.* At, de Kundmanno, legitur in Floro Germanico, libro, iis, qui Cæsaris hostes se profitebantur, parum cætera æquo: *Da der Graff (Pappenheim) sihet/das er Gelegenheit zu streiten überkommen/zeucht er dem ankommenden Feind freudig entgegen/und wiewohl er das so vielmal geschlagene und verwundete Heer angegriffen/so hat er dannoch dasselbige nit leichter/als wann es ein vöellig neu-und frisch es Heer gewesen wäre / überwunden. Allhier hat man des Studenten grosse Tapfferkeit gesehen / welcher weit von seinem Heer / indie Känterischen geset/ männlich um sich gehalten / und etliche ungebracht. Probanus valde, quod additur post ista: *Wäre ein fein Ding/ und an ihn zu loben gewesen/wann er sich in einer acchten Cache / und vor seinen recht**

mässigen Landes Fürsten also hätte gebrauchen lassen. Quale factum denique manserit Kundmannum, nos quidem latet, nisi quod in narratione Flori Germanici, porro succedit. Es folgten die Bauren ihrem General / und wäre eine große Gefahr zu erwarten gewesen / wann nit derselbige ihr General / der Student, wegen seiner Berwegenheit recht wäre gestrafft worden. Sinteimal er / samt seinem Leutenant Bernardo Ebber / dem Feinden lebendig in ihre Hände kommen. Hierauf ließen die Bauren den Muth alsobald etwas sinken / siengen an zu weichen / und als sie bald hierauff alle Hoffnung verlohren / flohen sie öffentlich davon. Accipimus de eodem Kundmanno, quod in Theatro Europæo Tom. 1. p. 105 3. legitur: Da die Bauren sich versamlet / etliche Psalmen gesungē / eine Predigt von einem Studio so unter ihnen gewesen / und sie tapffer zum streiten vermahnet / gehöret / sind sie / nachdem eine gute Weile mit ihnen scharmuhret worden / auf einmal / auf beyde Seiten ausgefallen / und die Käyserische mit solcher Furi angegriffen / daß die Reuter und Fußvock zertrennet / also / daß Obrister Löbel und andere / was für Resistenz und Fleiß sie auch angewendet / zu ruck weichen / und gar mit der Flucht sich salviren müssen. Ex his, quodammodo, magis autem ex testimonio illorum apud nos, qui hominem noverunt, liquet, nec irreligiosum Dei cultorem ipsum fuisse, nec sceleribus obnoxium. Egreditur ibi fidem invenit Autor Flori Germanici, ubi eorum, quæ ante allegavimus, oppositum quasi prodens, ait: Die Bauren als sie einen Studenten zum neuen General erwöhlet / sind unter diesen viel ärger / als unter den Vorfahren gewesen. Dann er hat zu den zauberischen Wundsegen / noch ein Gebet / so er in der Schule gelernt / dar zu gethan / und die unversidigen Bauren / mit Worten deromassen, beherkt gemacht / daß sie nicht länger warten können / sondern aus dem Wall sich hervor begeben / und mit lauter Stimme den Pappenheim selbst zur Schlacht geruffen. Haud unquam reperti sunt apud nos malarum artium Professores, imo ne Studiosi quidem. Tum vero, si omnino talis erat Kundmannus, qualis his postremis verbis describitur, quid obsecro attinebat, prioribus optare, ut sub Cæsaris signis dimicasset miles, qui sciens volens Cacodæmonis auspicia, suis incantamentis sequebatur? Absit interim a nobis longissime, ut Kundmanni Patronum agamus, aut defensorem.



## EXERCITATIO SEXTA.

Enarrans elegantem Apologum, quo,  
docetur, servandam sedulo esse Jurisjurandi  
religionem.



Æteris, quæ præmissimus, utilibus, nunc tandem  
postrema Exercitatione, immisceamus dulce quid,  
lepidam nempe, & omnes Milesios sermones, supe-  
rantem fabellam, ac cujus, æque ac Ælopi Apolo-  
gorum, duplex dos est:

— — *Quod risum movet,  
Et quod prudentis vitam consilio monet,  
Sic corrigatur error ut morsalium.*

Et vero, cum in hanc, Arabica lingua conscriptam, incidisset R.  
Abraham Maimonides, tantopere illius captus est dulcedine, ut si-  
bi neutiquam temperaret, quo minus in Hebraicam linguam eam  
converteret, dictione, pol! facili & tersa. Fuit iste Abrahamus,  
ceu ex Juchasin constat, Magni illius, & Judæorum præconio, uno  
Mose Legislatore inferioris, Mosis Maimonidis filius, qui, paternis  
vestigiis insistens, & ipse valde per orbem inclaruit, ac discipulum  
habuit, virum inter suos summum, R. Josephum, cujus in Canti-  
cum Canticorum extat Commentarius Arabicus, certe olim exti-

tit, nec enim compertum mihi, num interitum, cui multa alia præclara Veterum monumenta obnoxia fuerunt, evaserit. Ergo, Apologum hunc, ab Africanis Judæis, Septæ, ad fretum Herculeum, forte fortuna MS. ego nactus, Maimonidis junioris semitâ viam facere, & amplius Latinitate commentum hoc donare, in animum induxi meum; certa spe fretus, non defuturos, quibus ista placebunt, quique, quod Plinius Secundus Maximo suo graviter inculcat, sibi dictum putabunt: *Sit apud se honor antiquitatis, sit ingentibus factis, sit Fabulis quoq.* Quanquam, utri nunc nonnullorum, de Angelis & Dæmonibus, sese in mundo proferrunt opiniones, erunt fortasse ex Christianis, qui, hæc ita accidisse, serio sibi persuadebunt, totamque narrationem, una cum Judæis, inter veras historias potius, quam viles nãnias, referent. Habebit ergo, quemadmodum libri pariter reliqui, hæc quoque Exercitatio, suum fatum, pro Genio nempe & captu Lectoris; quem, postquam nobis, cognoscendo antelucanas istas lucubratiunculas, paululum vacavit, res suas bene gerere vovemus; illumque dimittimus, ubi prius aures ei vultimus, Phædri, quæ nostra facimus,

Induxi te ad legendum: sincerum mihi,  
Candore noto, reddas judicium, peto.





מעשה

שהעתיק ר' אברהם מימון זל

בלשון הקדוש מלשון ערבי:

**HISTORIA**

Quam,

**Ex Arabica in facram Hebraicam**

linguam

convertit

**R. Abraham Maimonides f. m.**

**מעשה** היה בארס אחד סיחר מלא היה לו אלא בן אחד ולמדו תורה ו ומענה ותלמוד מיתא סידרי ונתן לו ארסה והולד בנים בחייו וביום מותו קצן זקני עירו ואמר להם דעו פגע לי בכמים רבים וים לאסתי עלי כתובה ממאה מלעים כסף כמו סכתוב בספר כתובתה וכל הארז יהיה לבני אס יאמור מנותי מאני מנהו אותי בבנים ואס ממא ועבור על צואתי הגבי אל הקדים מעלמסו כל בכמי לממס ולא יהא מהם לבני כלום מיד קריא לבני ויצוהו בבני זקני עירו מלא ילך בים לעולם כל ומו חייו ואמר לו בני הוי ארבע כי כל בכמי ואס מים לי הרוחתי במהלכים מעסיתי בים וכמה מאורעות וכמה גסיונות עברו עלי בים בבקמס ממך מלא תסכך עמך כדי להרויח בכמים בים כי אני מניה לך בכמים ג לרוב מאס אפילו לעולם לא תרצה ג להרויח ימפיקו לך ולבניך כל ומו א חיותכם על הארמה והגבי חפן מתעבב לי בספר התורה מלא תעבור רצוני ו ומנותי בזה לעולם מכמים רבים אנו מניה לך שתוכל להחיות בהם במקומך :

**E**Rat aliquando homo Mercator, habens tantum filium unicum, hunc probe erudiri curabat in Sacris Literis, libris *δευτεράσιων*, & lex Talmudis Ordinibus: dabat ei insuper uxorem, e qua liberos suscipiebat, patre superstitite. Cum vero mortis fatalis dies patri immineret, convocat is primores urbis suae, aitque illis; Scitote, habere me opes ingentes, & Vxori quidem meae, dotis loco solvere teneor argenti pondo centum, ceu in instrumento ejus dotali scriptum est, (*haec illi appendi velim*,) reliqua omnia filii sunt, si modo servaverit mandatum meum, quod vobis praesentibus ei sum praecipiturus. Quod si vero illud violabit, ecce tunc omnes facultates *ἀνάθημα* sunt, nec filio meo quicquam earum obtin- gat. Mox, accito ad se filio, coram primoribus urbis hoc ei edicit, ne unquam tota vita mari se committat, inquit; Fili mi, noveris, me sane omnes meas divitias, totamque rem familiarem, acquisivisse maritimis, quae feci, itineribus. At, quia multi atroces casus, variaque discrimina me in mari navigantem man-

ferunt, hoc te vehementer obsecro, ne periculo, in mari quaestum captandi, te exponas. Abunde enim divitiarum tibi relinquo, ut, si maxime nunquam animum ad lucrum sectandum applices, suffecturæ ex tibi sint liberisque tuis, quamdiu in hoc orbe vitam agetis. Volo igitur, ut jusjurandum mihi des, sub Legis Divinae religione, te hanc meam voluntatem mandatumque, nullo unquam tempore violaturum, quippe, fatis amplum patrimonium ad te transfero, ut, pro conditione tua, vitam tolerare queas. Quod si vero praecipitum hoc transgredieris, ecce, praesentibus his viris honoratissimis, omnes facultates meas, in *Δῶρον & κορβαῖν* devoveo, ne quic-

ואם תעבור מזותי זו הנני מקדים כל  
 נכסי לשמים בפני אלנו הכבדים שלא  
 תוכל ליהנות מהם : ונסבב לו הכן על  
 הדבר נפני הקהל וזקני העיר שלא  
 יפרוש בים לעולם . לימים יפטר הזקן  
 הסוחר והלך לבית עולמו והבן עמד א  
 בביתו ושמר מזות אביו :

ne quicquam utilitatis ex his ad te  
 sedundet. Quamobrem filius, co-  
 ram magno civium numero, & ur-  
 bis primoribus, in eam sententiam  
 conceptis verbis jurat, nunquam se  
 navigationem initurum. Aliquot  
 interjectis diebus, moritur senex  
 mercator, abitque ad plures, filius  
 vero ædes illius occupat, tenaxque  
 est præcepti paterni.

ולסוף ענה ומנתיים באה ספינה אחת  
 לאותו כמל של אותה העיר והיתה א  
 אותה ספינה טעונה כסף וזהב א  
 ומרגליות וכספאלו אנשי אותה ספינה  
 ליבטה שאלו על אותו הסוחר אם היה  
 בחיים ואמרו לו אנשי העיר כבר מת  
 ונשאר בנו במקומו עשיר גדול ותלמיד  
 חכם : אמרו אנשי הספינה בבקשה מכם  
 הביאהו לכאן או הרחובו ביתו . הראו  
 להם ביתו ושאלו במלומו ואמרו לו א  
 אתה הוא בנו של פלוני הסוחר הגדול  
 שהיה רגיל לפרוש בים ושהיה הולך  
 בסחורה רבה לסוף העולם אמר להם  
 אני הוא בנו . אמרו לו איך אמר זה  
 איך היה לו בעבר הים הנכסס ו  
 ופקדונות כספספר מן העולם אמר להם  
 לא כתב בזאתו שהיה לו כלום בעבר  
 הים רק הסביעני רבו וזוני בלא א  
 לפרוש בים לעולם . רמזו לו איך שלא

Post annum unum aut alterum,  
 adventat navis quædam, in illius  
 urbis portû, argento, auro, & unio-  
 nibus onerata, cumque vectores in  
 terrâ descendissent, quærent num  
 è *dæva* Mercator adhuc salvus sit?  
 At, responsum accipiunt ab incolis,  
 pridem ipsum mortuum esse, reli-  
 quisse vero filium successorem, vi-  
 rum ditissimum juxta eruditissi-  
 mumque. Tum nautæ: Quæsu-  
 mus vos, huc illum deducite, aut  
 ostendite nobis ædes ejus. Facto  
 ædium indicio, (*intrant has nautæ,*)  
 & salvere jussu patrefamilias, in-  
 quiunt: Tune filius es *re dæva*  
 mercatoris opulenti, qui mare per-  
 agrabat, mercesque varias depor-  
 tabat, ad ultimas usque orbis oras?  
 Respondet homo: Ego is ipse sum.  
 Ibi navicularii: Quæ cum ita sint,  
 dicdum, an nullam moritura pa-  
 ter mentionem fecit opium & facul-  
 tatium, quas trans mare possideat?

At alter: Non indicavit supremis  
 verbis, quicquam se trans mare habere. Quin potius jusjurandum  
 præstare me coëgit pater; & interminatus est, ne unquam ma-  
 re ingrederer. Subjiciunt navicularii: Si hæc vera sunt, neque signifi-  
 cavit tibi pater, quantam pecuniam scœnori dederit, quantumque rei te-  
 neat trans mare, non is mentis suæ composato functus est. Oportet  
 enim scias, totam navem, qua huc vecti sumus, & quæ argento, auro, atq;

הגיד אביך על מה שהפקדו או על מה שהחזיק  
 בעבר היום לא מת בדעתו כי ידוע תדע  
 טכל הספינה שבאנו בה שהיא מלאה  
 כסף וזהב ומרגליות הכל מעל אביך  
 היא שהפקיד לנו ואם היות שמת י  
 אביך לא נכפור אכחנו בפקדונו מלתת  
 אותו אליך אעפ שלא נזה כך בי י  
 אנשים באנשים אכחנו ויראת הסם א  
 עלינו ואין אנו חומדים ממונך כי יש  
 לנו בל תהלה לאל ועתה בא געם א  
 עבדיך אלה יקה כל מה שיש בספינה  
 מהכל שלך כששמע בן הסוחר כך א  
 מוח מאד בלבו והלך עמהם והביא כל  
 אותו ממון לביתו והכניס ארטי הספינה  
 בביתו ועמדו עמו ימים במסתאות י  
 ובשמחות ליום אחד אמרו לו אנשי י  
 הספינה יודעים היינו באביך שהיה אים  
 חכם וכבדו אמנם נראה לנו שלא היות  
 בדעתו כשמת וכאשר הסביעך שלא י  
 לפרס בים ובאמת תדע שאין מום י  
 לאותו מבושה כי היה לאביך נכסים  
 בעבר היום יותר עשרה פעמים שלא  
 הביאנו לך ואיך היה מסביעך שתאבד  
 כל אותם נכסים אלא גסיה ומקורה  
 בדעתו רק אם תשמע אותנו קח רשות  
 מהמלך והחכמים ובה עמנו וצאנה תן  
 הסחורות המתבקשות בארכנו ותרויח  
 בהם ממון גדול ותבחי עמך כל י

unionibus referta, meris paternis  
 bonis oneratam esse, quæ ipse apud  
 nos deposuit. Et si vero pater tu-  
 us diem supremum obiit, non ta-  
 men inficiabimur ejus depositum,  
 ne illud in manus tibi tradamus,  
 quanquam mandatam illius nul-  
 lum ea de re extat; etenim viri boni  
 sumus, Deumque veremur, nec tuas  
 opes desideramus, nam, Deo gratia,  
 rebus omnibus abundamus. Qua-  
 propter ad eum servis tuis navem,  
 & cape quicquid ibi est mercium  
 pretiosarum, tuæ enim sunt univer-  
 sæ. Hæc, cum audivisset Mercatoris  
 filius, multum animo lætabatur,  
 atque illos comitans, omnes  
 merces in domum suam infert, nau-  
 ticasque in ædes recipit, qui, dies  
 complures in conviviis & hilarita-  
 tibus, cum eo transigebant. Ho-  
 rum uno, dicunt illi navicularii:  
 Nos novimus patrem tuum pollu-  
 isse sapientia prudentiaque, idcirco  
 nobis videtur, non fuisse eum sibi  
 præsentem, cum moreretur, cum-  
 que jusjurandum a te exigeret, non  
 temari peregre iter facturum, Pro-  
 certo hoc igitur tibi tenendum, ni-  
 hil roboris inesse illi iurijurando,  
 pater enim tuus decuplo majores  
 opes trans mare possidebat, quam  
 nos tibi attulimus, quomodo igitur  
 jusjurandum a te requirere pote-  
 rat, ut omnes illas facultates defereres? fuit ergo mente captus. Hinc,  
 si nos audire voles, pete a Rege & Sapientibus iurijurandi veniam, & age-  
 dum, nobiscum proficere. Ememus hic merces, quæ in nostris regionibus  
 desiderantur, atque ex iis lucrum ingens capies, tecumque asportabis  
 omnia bona, quæ reliquit pater tuus, in urbe, & regione nostra. Ad hæc  
 ille: Ego jusjurandum dedi parenti, me nunquam mare ingressurum, illud  
 jusju-

הממון מהניח אביך בארצנו ובהקומינו  
 ענה להם אחי בטבעתי לאבי מלא עי  
 אכנס בים לעולם ולא אעבור על גג  
 טביעתי ולא על מצותי כי אבי הטביעני  
 בדעתו ומה מלא הודיעני על אותן  
 הפקדונות ועל כל אותן הממון מהניח  
 למס נתכוון בדבר מלא אספן עמני ועל  
 זה לא רצה לגלות לי הדבר וכיון ג  
 מכך הוא אסמך מצותי ומטביעתי ג  
 בטבעתי לו אמרו לו וכי היה רוח  
 איותך יותר מגופו מסכן עמנו כמה ג  
 פעמים אין הדבר כך כמו גאתה ג  
 אומר אלא פתיה מסורף בדעתו ולכן  
 אין במצותו ממש כי לא בדעת היה  
 מדבר ובלי דעת הטביעך לכן טוב לך  
 ליטאל היתר בטביעתך בטענה זו סוף  
 הדברים מהטביעו עליו בדבריהם עד  
 שהזניחוהו מדעתו והורד ללכת עמהם  
 כדי להוציא הממון .

*jusjurandum minime violabo, nec  
 transgrediar præceptum ipsius.  
 Pater enim sibi præsentissimus, hoc  
 jusjurandum a me exegit, quod ve-  
 ro debitorum illorum, opumque  
 quas isthic reliquit, nullum mihi fe-  
 cit indicium, eo ipso id intendebat, ne  
 periculo me exponerem, hancque  
 solam ob causam, rem manifestare  
 neglexit. Quæ, cum ita se habeant,  
 servabo illius mandatum, meumque  
 jusjurandum, quo me ei obstrinxi.  
 Subjiciunt nauticarii: cum ipse te  
 magis amarit quam vitam suam,  
 tuique causa tot discrimina adierit,  
 fieri non potest, ut vere sic ista sint,  
 ceu loqueris, sed impos mentis fuit,  
 & proinde nihil solidi inest manda-  
 to ejus, amens enim loquutus est, &  
 amens te jurare coëgit, quare opti-  
 mum fuerit, ut ex argumento hoc,  
 jurisjurandi veniam petas. In sum-  
 ma, tamdiu verbis suis illum urge-  
 bant, donec eum a proposito abstraxere, itaque in profectiorem ad  
 opes suas petendas consen sit.*

מה עשה קנה מחורה ונכנס עמה  
 בפשיטה והלכו להם יחד וחד פתיו  
 בים הגדול הכירו למס טעבר על גג  
 טביעתי ועל מצות אבי כי הקם הטליך  
 הערה על הים והאכיה בטברה נכסעו  
 כל האנשים שהיו בה על פתתו לו ענה  
 לעבור על טביעתי ועל מצות אבי .  
 ורמז הקצה לפרו על ים והטליך ג  
 האיש ההוא אל היצפה ערום ויחף ג  
 לסוף העולם במקום מלא היה מס ג  
 מושב בני אדם כדי שיסבול דינו על  
 הנחת בחיים וכטבא אל היצפה וראה

*Quid igitur facit ? Comparat  
 merces, atque navem cum istis con-  
 scendit, unaque simul abeunt. Quam-  
 primum autem in altum delati fue-  
 rant, agnovere illico, ipsum & juris-  
 jurandi religionem, & patris præcep-  
 tum violasse. Numen enim, ven-  
 to impetuoso mare turbabat, sic ut  
 navis frangeretur, omnesque qui  
 ea vehabantur, suffocarentur, qui  
 autores fuerant filio mercatoris, ad  
 insuper habendum jusjurandum,  
 præceptumque paternum. Cæte-  
 rum, Maris præfectus Genius, ex  
 Numi-*

את ענמו ערום ויחף הכיר מהמס רגז  
 עליו וכי בא יום אירו ונפא עיניו למרום  
 והנדיק עליו את הדק והחל ללכת על  
 ספת הים אולו ומנא עוד מוטב או א  
 טימנא תה יאכל ומה יתכסה כי ערום  
 היה כאשר יאז מבטן אמו זאחר מהלך  
 כמהלך יום אחד מנא חילן אחד מהיו  
 ענפיו על ספת הים והטב בלבו זה חילן או  
 אכסר שלא נטעוהו בני אדם הלך למנא  
 אוכל והחטיך לו ולא מנא כלום א  
 כטראה שלא מנא דבר מה יאכל ולא א  
 במה תכסה יתכסה בענפי חילן הרקום  
 ובעלו כדי להיותם מנויין לו מקרה א  
 הלילה וכמהיה בהצות הלילה שמע קול  
 ארי נוחס וראה מהיה בא חליו לאכלו  
 וכטראה פחד לנפשו מאד שלא יאכלנו  
 הארי על שלא עמר מנות אביו ועל טעבר  
 על טבועתו והרים קולו בבכי והתפלל  
 למס להצילו וטיאריך חמתו ואפו עמו  
 וטלא יפרע ממנו להמיתו במיתה משונה  
 ומה עשה אחז בענפי חילן ועלה למעלה  
 בטכסיו וכטבא הארי לא מנא וחזר  
 לאחוריו והאיש ההוא נתן הודאה למי  
 כטצילו מיד הארי ההוא :

Numinis Supremi imperio . illum  
 perjurum, nudum ac discalceatum  
 extrudit circa ultimas orbis plagas,  
 in locum, nullis hominibus habita-  
 tum, ut vivus lueret peccatorum  
 supplicia. In terram igitur delatus,  
 cum se nudum & discalceatum con-  
 spiceret, facile animadvertit, ira-  
 tum sibi Numen esse, venisseque di-  
 em sui infortunii. Sublatis vero in  
 caelum oculis, fateri coepit, hæc sibi  
 jure obtigisse : & in litore deinde  
 obambulans, homines requirebat,  
 & aliquid quod comederet, & quo  
 sese tegeret, non minus nudus enim  
 erat, quam cum egrederetur ex  
 materno utero. Postquam totum  
 diem circumivisset, defertur ad ar-  
 borem quandam, ramis suis litus  
 obumbrantem, quare secum cogi-  
 tat, fieri aliter nequit, quam ut ar-  
 borem hanc homines plantaverint,  
 unde scrutatur, num aliquid ad  
 comedendum reperire posset, ve-  
 rum frustra erat, & tenebrae insuper  
 ingruebant. Cum ergo nihil, nec  
 ad comedendum, nec ad tegendum  
 sese invenisset, arboris teneræ fron-  
 de, foliisque ejus se operiebat, ut ad-  
 versus nocturnum frigus tutamen haberet. At vero, circa noctis me-  
 dium, audit vocem leonis rugientis, videtque illum accurrentem, ad  
 sese devorandum. Eum cum conspexisset, vehementer metuebat, ne  
 leo ob violatum præceptum paternum, & jusjurandum, se dilaniaret, un-  
 de fiens amare, Numen orat, subvenire, & misericorditer secum agere  
 dignaretur, nec mortis sævæ supplicio in sese animadverteret. Quid  
 ceptat ? Apprehendit ramos arboris, & tuberibus illius adjutus,  
 eam inscendit, atque sic, cum adventans leo eum non invenisset, re-  
 trocedebat, homogue ille gratias Deo agit, quod se a leone libera-  
 verat.

הטב בלבו הנחור ההוא לעלות עיר  
 באותו האילן אולי ימצא בו דבר לאכול  
 כי היה רעב מאד וכשהלך באילן מצא  
 עוף גדול ושמו קיפופא וכשראהו פתח  
 את פיו לאכלו והבחור הקהה רצה לברוח  
 ונתן הטס רוח חכמה בלבו ועלה ורכב  
 על העוף הקהה וכיון שרכב עליו נפל א  
 פחדו על אותו הקיפופא ולא בע ממקומו  
 כל הלילה והבחור הזה הוה ירא מאד  
 ממנו והיה אוחז בכתפי ידיו בכוצתו ולא  
 היה יכול לרדת מעליו וגם הקיפופא היה  
 ירא יען מלא היה יודע מי הרכב א  
 עליו וכמעלה עמוד הסחר חביט א  
 הקיפופא וראה האים והוסף לירא מעניו  
 ויעוף בחמה ופחד כל היום עד לפת ערב  
 והעביר לו את הים ונשאו עד מקום ג  
 אחד לסיף העול כשהיה רואה את הים  
 תחתיו היה ירא מאד והיה מתפלל לטס  
 להצילו:

& mare trajiciens, hominem in locum quendam, in extremis orbis finibus situm, deportat, qui, videndo subitus semare, multum timebat, Numenque invocabat, ut sese servaret.

כשהיה לפת ערב עבר אותו קיפופא  
 על מדינת אחת וכתקרב לארץ ושמע  
 האים ההוא קול גערים פתח קוראים א  
 בסדר ואלה המטפטים כי תקנה עבר  
 עברי וכששמע כך אמר בלבו בודאי יש  
 במדינה זו יהודים השליך עצמי לטס וי  
 ואיפטר ירחמו עלי והנצל אם אמכור  
 עצמי לעבד עברי להם מה עשה א  
 השליך עצמו ונפל על סער בית הכנסת  
 על אותה עיר ואותו הקיפופא הלך לדרכו  
 nagogæ illius urbis, Bubone avolante.

Postea constituit is homo secum, altius in arborem evadere, si forte aliquid ad comedendum offendere posset, erat enim summo famelicus. Pergens sic, incidit in avem prægrandem, cui Bubo nomen, ea, viso homine, os distendit, ad illum deglutiendum, homo vero, cum fugam meditaretur, indidit ei sapientiam Numen, ut in avem insiliret. Bubo vero, animadverso hoc infessore, formidare illum coepit, necto ta nocte loco se movet. Interea temporis, homo sibi quoq; metuebat, utraq; manu pennas arcte tenens, nec valens amplius descendere, Bubonem quoque pavor corripuerat, nec enim sciebat, quis in dorso sessitaret. Diluculo exorto, retrospectat Bubo, & animadverso homine, majorem metum contrahit, unde irata, æque ac pavida, tota die ad vesperam usque circumvolitat;

Circa vesperam, Bubo in regionem aliquam defertur, ibi, ave hac terræ viciniorē reddita, audit homo vocem legentium puerorum, ex Exodi (cap. XXI,) Cum emeris servum Hebraum. Quæ re percepta, secum cogitat, necesse est Judæi hic degant, illuc me præcipitabo, fortasse miserabuntur mei, vitamque salvabo, si me in servum ipsis vendem. Quid incipit? Desultat, atque concidit ante fores Synagoga, intra

והאית כמנפל לא היה יכול לקום עד ב' שעות כי כמעט סנתרסקו אבריו מרח הנפילה ועל מהיה חלם שלא אכל ב' ימים ואחריו כן קם על רגליו והלך עד מער בה ומכאו סגור צעק ואמר פתחו לי שערי צדק ינח נער אלנו ויאמר לו מי אתה אחר לו אנכי עברי ואת השם אבי ירח הלך הנער אכל רבו וזוהו קם לפתוח לו הדלת וכשראהו ערום הגיד לו את כל אשר קרהו מראש ועד סוף ואמר להם כי עברו עלי צרות גדולות ענה לו הרב ההוא כל מה שאירע לך הכל הוא נקל על מה שאתה עתיד לסבול כאן אמר לו הבחור וכי אינכם יהודים ידעתי שבני ישראל רחמנים בני רחמנים הם כמ' לאית עני כמוני ריקן מכל טוב ערום ויוחף אמר לו הרב אל תרבה לדברים כי אינך יכול להנצל מן המות ענה לו הבחור ולמה אדוני ולמה תאמר כדברים האלה אמר לו מפני שהעיר ג' הזאת אינה על ב' אלא עיר של עדים וטירותן והנערים האלה אשר אני מקרא להם בני עדים הם ועתה יתקבצו ברגע אחד להתפלל וכטיראו אותך ימיתוך כשמעם הבחור ההוא כך כבהל ונפל ונמק רגליו אותו הרב וזכה ויתחנן לו לתת לו ענה ולעזור לו שלא ימות ואמר כי היה איתם יודע ספר וירא השם לולי

iatta duas horas non poterat sese erigere : ob illius enim casus violentiam, parum aberat, quin omnia membra convulsa essent, accedente insuper bidui inedia. Tandem surgit, & ad portam Synagogæ accedit, quam, cum clausam reperisset, clamare coepit. Heus, aperite mihi portas justitiæ. Tum puer egrediens, interrogat illum : Quis tu homo es ? Respondet ipse : Hebræus ego sum, & veri cultor Numinis. Nec mora, refert id puer Magistro, qui, fores illi pandere iussit. Magister, cum hominem sic nudum conspexisset, (*querit causam, simulq; narrare jubet, quomodo in has oras delatus sit.*) Edisserit igitur (*hospes,*) omnia quæ sibi acciderant, a principio ad finem usque, querens, atrocissimas se perpeffum esse calamitates. Tum Magister: Quicquid hactenus sustinivisti, id totum leve est, præ eo, quod hic te manebit. Ad hæc, homo: Annon vos Judæi estis? Atqui, novi ego, Judæos misericordes esse, hæcque virtutem trahere a Majoribus, tanto magis igitur miserebuntur pauperculi hominis, qualis ego sū, destitutus rebus omnibus, nudus, discalceatusque. At Magister, noli, inquit, multa verba facere, nec enim

mortis evadere potes supplicium. Ibi homo percontari : Ecquare Domine? & quam ob causam tam sæviter mihi comminaris? Respondet Magister: Quia hæc urbs non habitatur ab hominibus, sed Dæmoniorum Lamiarumque propria est; atque illi Pueri, quos erudio, Dæmoniiis prognati sunt, eaque, intra momentum aderunt ad precandum, & simul ac te videbunt, viſa te exuent. Quæ, cum audivisset hospes, magno metu corripiebatur, & coram Magistro procidens, pedesque illius deo-



בחסד בענת אותם האנשים שהטעו אותם  
לעבור על מצוות אבות ועל מצוותיו  
וכששמע אותם הרב כך כמרו רחמי  
עליו וענה לו כיון שאתה בן תורה  
וידע ספר ואתה מתחרט על מה טעמת  
ראוי לחוס עליך ומאחר שכנסת רגלי  
התנסלת לפני אחר בעבורך אם אוכל  
להילך :

coepit miseratione moveri Magister, ita ut diceret juveni : Quia Legis Divinae, & doctrinae gnarus es, atq; poenitentia admissorum caperis, æquum est, tibi parcere. Proinde, quia pedes meos osculatus, mihiq; supplex factus es, tui causa enitar, ut te liberare queam.

מה עשה הרב הבאנו לביתו והאכילנו  
והסקהו ולן בביתו בלילה ההוא ולא  
הרגישו עליו הסורף כל אותה הלילה  
למחר בהסכמה אמר לו אותו הרב בא  
עמי לבית הכנסת ופיס עמך תחת  
כנפי ואל תדבר דבר עד שארבר בעיניך  
הולכנו לבית הכנסת ועמד תחת כנפיו  
הרב וכשעלה עמוד הסחר באו הסורים  
לבית הכנסת כלפניו אש ושמע קול  
ברקים מרעשים וקול זועות והאיש  
ההוא עמד מרעיד ולא כמאר רוח  
מריב פתרו ויראתו ושמע שהתחילו לומר  
פסוקי דזמרא כמו אש היו בני ישראל  
והיה עומד עד אחד קרוב לאותו הרב  
ואמר לחברו ריה בני ארם אני מריח  
עד שנשמע הקול ביניהם ואמרו הנה  
הוא עומד בנר הרב וכולם נהגו כבוד

sculans, flebat, & obsecrabat Magistrum, ut consilium suggereret, ac opem ferret, ne capitis discrimen incurrat, addens, se literis esse imbutum, & Numinis cultorem sedulum, peccasse autem tantum, ex pravo consilio illorum naviculariorum, qui se seduxerint ad violandum præceptum paternum, & jurisjurandi religionem. Istis perceptis,

Quid facit Magister? Introducit hominem in ædes, eumque cibo ac poture ficit, pernoctatque ibi hospes, nec id tota illa nocte sentire dæmones. Mane, cum illuxisset, ait Magister hospiti, veni mecum in Synagogam, & intra pallium meum ibi tercipe, nec quicquam loquitur, priusquam tuo nomine verba fecero. Introductus in Synagogam, sub pallio Magistri delitescit. Mox, exorta aurora, dæmones Synagogam petunt, tanquam flammæ igneæ, exaudiebatq; hospes, quasi quosdam tonitruum fonitus, commoventes e concussantesque. Stabat igitur homo ille formidolosus, nec fere animi quicquam reliquum habebat, præ nimio pavore, & tremore. Audiebat vero recitantes dæmonas preces solemnes matutinas, quasi forent Judæi.

Interim, quidam dæmonum, qui haud procul a Magistro confiterat, socio suo ait, odorem hominis ego olfacio, idq; tamdiu, quoad inter omnes vox hæc fuit exaudita. Tum cuncti clamare; Ecce stat a latere Magistri. Cæterum, universi id hono-

רוב ולא קרבו אליו מאחר שהוא יושב  
בעד כספיו וכשראה אותו הרב מידעו  
הסדים שהאדם ההוא היה למס מיד מ  
הסגליו בסוקו דמרחא אמר לחזן אל  
תקפול עד מאדבר דברי מרד אמרו  
לו הסרים רבנו דבר על עבדיך לא  
דברך ונשמע :

re, Magister, servis tuis verba tua nos aufcultabimus.

אמר להם רבני מבקש מכם מלא א  
תפיקו לאים הזה כיון שכנסם בכל  
קורתיו אמרו לו ומה טיבו של ילד  
אדם בטיבו ומי הביאו לכאן מפר  
להם הרב כל מה שארע לאים ההוא  
מראם ועד סוף אמרו לו ואיך נחיה  
אדם רשע כזה מעבר על מות אביו  
ועל טבועת הסם אין זה כי אם בן  
מות אמר להם הרב כבר קבל עלינו  
ענבו ברוב צרות וקשות שעברו עליו  
והוא בן תורה וראוי שתגן עליו תורתו  
מאם היה חיוב מיתתו ולא היה הסם  
מגילו מן היס ומן הארי מן הקיפופא  
ומחמה צרות ענו לו הסדק לם שהוא  
בן מות שהוא בן תורה ולא סמר א  
מכות אביו וגם מעבר על טבועתו וג  
והסגלות בעשות לו כדרכות והסם לא  
הצילו מל מה מעבר עליו אלא כדי מ  
טימות בדינו במיתתו ממנו :

istribuebant Magistro, ut nemo  
hominem attingeret, quoad pallio  
Magistri tegebatur. Cum sic vi-  
deret Magister, innotuisse Dæmoni-  
bus, esse illic hominem, confestim  
post recitatas Preces Psalmicanas,  
ait Præcentori: Noli tu porro pre-  
cari, priusquam verba mea protule-  
ro. Ibi statim Dæmones: Loque-

Tum ait illis: Ego hoc a vobis  
contendo, ne istum hominem læda-  
tis, quia sub umbram tigni mei con-  
fugit. Ad hæc Dæmones: Quid sibi  
vult, foemina editus internos, &  
quis eum huc deduxit? Ibi narrat  
illis Magister omnia, quæ homini  
evenerant, a capite usq; ad calcem.  
Dehinc Dæmones, anne concedere-  
remus, inquirunt, superstitem esse;  
tam nequam hominem, qui migra-  
vit mandata paterna, & jurisjuran-  
di sanctimoniam? omnino reus est  
capitalis supplicii. Subjicit Magi-  
ster: Quoniam poenas, suis multis  
calamitatibus ærumnisque quas  
perpeffus est, luit, atq; in sacris lite-  
ris scientiam profitetur, æquum est,  
ut hæc eruditio illum tueatur.  
Quod si enim mortem promeruis-  
set, non liberasset ipsum Numen e  
naufragio, nec a Leone, nec a Bubo-  
ne, aliisque malis plurimis. Re-

gerunt Dæmones: Tanto magis dignus est, qui vita exuatur, cum Legem  
Divinam teneat, nec servarit præceptum paternum, suumque jusjuran-  
dum violaverit. Huic enim, leviores errores, pro delictis gravissimis im-  
putantur, Numenque haud aliud ob finem, inter omnes istas adversitates  
ipsum illæsum præstitit, quam, ut a nostris manibus mors ei inferatur di-  
rissima.

ואמר להם הרבו חן ראוי שתתחננו  
 אתם אלף בדין תורה מאחר שהוא בן  
 תורה ועתה שמעו לקולי יתרים החזן  
 מלא יתיכן מוס סר עד אחר התפילה  
 וברא אותי לפני אשמדאי המלך והוא  
 ירד אותי אש למות אש לחיים : עני  
 כלם טוב הדבר אשר דברת מיד נו  
 לחזן הכנסת להחריס מלא יתיכן מוס  
 סר עד פירן אותי אשמדאי מלך  
 הטרס :

lium, quod suscipisti: nec mora, jubent

Excipit Magister: Minime fas est,  
 ut vos illum perimatis aliter, quam  
 secundum Legis Divinæ instituta,  
 cum eruditus sit: Nunc igitur au-  
 dite consilium meum: palam edicat  
 Præcentor, sub anathematis pœna,  
 ne quis vestrum, illi ante preces  
 peractas noceat. Postea, iis finitis,  
 adducemus illum ad Regem Asmo-  
 dæum, atque ipse judicabit, num  
 morte, an venia dignus sit. Tum,  
 uno ore omnes: Probum est confi-

Præcentorem sub anathematis pœna  
 divulgare, ne quis Dæmonum manus ei inferat, antequam Asmodæus  
 Rex Dæmonum, de illo cognovisset,

ואחר שהתפללו הביא וזהו לפני אשמדאי  
 ואמר לו ארזני המלך האים הזה הוא  
 בינינו מפני שחמא לשם ית מעבר על  
 טביעתו ומלא שמר מנות אביו וזהו  
 אירע לו כך וכך ואחכנו לא רצינו  
 להמיתו עד שתדיכנו אתם מפני שהוא  
 בן תורה וכעצמנו המלך כך קרא  
 לבית דינו ואמר להם הנה זה האים  
 שעשה כך וכך והקרה לו כך וכך  
 דינו לבקר מעפטו ופמפטו בדינו כי הוא  
 בן תורה לכך תדיכנו בדין תורת משה  
 הלכו בית דינו ופמפטו בדינו ודיכנו  
 למות מפני שכתוב בתורה ארור מקלס  
 הביו ואמו וזה הקלה כבוד אביו  
 ומותו וכיון שהוא ארור

Legis Divinæ Studiosus sit, ideo  
 eum judicare addecer. Abeunt Senatores, omnique negotio pro-  
 be perpenso, capitalem adversus eum ferunt sententiam. Nimirum,  
 hoc nitebantur fundamento: Scriptum est in Lege (Deut. XXVI. 16.)

*Maledictus esto, quisquis vilipendit patrem suum, aut matrem suam.* Atqui,  
 iste, vilipendit utique honorem patris sui, illiusque præceptum, &  
 proinde subjacet maledictioni. Cæterum, maledictionis reum, eun-

Post recitatas Preces, deducunt  
 reum coram Asmodæum, dicunt,  
 que illi: Rex, Domineque: Iste hō-  
 mo in nos incidit, quia deliquit ad-  
 versus Numen æternum, violando  
 jusjurandum, & spernendo manda-  
 tum Parentis sui, atque ecce, ista &  
 ista ei evenerunt. Nos autem no-  
 luimus illum trucidare, priusquā tu  
 de ipso decerneres, quia Divinarū  
 literarum Studiosus est. Quæ, cum  
 percepisset Rex, convocat Senatum  
 suum, & his eum affatur verbis: Ec-  
 ce vobis. Hominem, qui hæc, & ista accide-  
 runt, ite igitur cras in suffragia, &  
 inquire in causam illius. Cū enim  
 secundum Mosaicam Legem vos

והרור הוא בן מות משאול בן קים א  
 טרצה לחמית בנו יהונתן על מעבר על  
 הרור ומד כי זה עבר על טבועתו א  
 סכתוב כי לא יקח יי' וגו' הלכו א  
 לפני המלך אשמדאי ומסרו לו איך א  
 חיובוהו למיתה על הספכות הנכדרי -  
 אמר להם אשמדאי המתינו ברוך ולינו  
 עליו אכן כתוב ומסמו העדה והגלו א  
 העדה והמה חכמיהם הוו מתנין ברוך א  
 וכן משה רבם עכב ברוך הקיפום כי לא  
 פורט אמרו לו בן נצטט כאמר דברת  
 כי אתם אדונינו ועליך פנינו אמר א  
 להם המלך ילך עמי האים הללה הזאת  
 ברוך אלא ומיתוסו עד מיתבאר הדין  
 וכן עשו - באותה טעה אהל לו אשמדאי  
 אס קרא ענא ונהו וביאז לפנא ספר א  
 תורה נביאלי ובתבלי ופדרי ומסנה ופל ד  
 עברק אותו ומלאו חכס בכל עיניו א  
 וכטראח אשמדאי כך אמר לו עתה ידעתי  
 כי אימס חכס אתה וגם מלתת את א  
 בעיני הטבע לי מתלמד בני מס אלתה  
 יודע ואני מליך מוד הסרו כי ידעתי  
 סימניו בדיך להרין בטבע לו בכך  
 אמר לו המלך בא והלמד טענות א  
 מתטעון ליום מאר כי אמרו כי אים א  
 מות אתה - ואתה תענה להם כי אתה הדין

dem & mortis reum esse, con-  
 stat ex illo Saulis filii Kis, qui  
 (Gen. I. Sam. XIV. scriptum est,) filium  
 Jonathanem perimere nitebatur,  
 quia contrarium fecerat ejus, quod  
 ipse sub maledictione prohibuit.  
 Accedit, quod iste insuper jusjuran-  
 dum suum rupit, quodque Scriptu-  
 ra de homine ejusmodi pronun-  
 ciat (Ex. XX, 7.) *Non relinquet im-  
 pium Dominus eum &c.* Quam-  
 obrem adeuat Regem Asmodæ-  
 um, eique exponunt, quomodo re-  
 um, capitis supplicium, promeruisse  
 sentiant, ob rationes prædictas.  
 Tum ait illis Asmodæus: *Exspecta-  
 te, & sententiæ promulgationem,  
 in diem usque crastinum differte,  
 nam S. E. (Num. XXXV. 24. 25.)  
 Tunc jus dicent cætus: Et eripient  
 cætus. (Quo, jubetur pars Synedrîi  
 damnando reo, pars, absolvendo im-  
 pientia esse.)* Scitumque est illud Sa-  
 pientum Hebræorum: *Moras tra-  
 hit judicaturi.* Sic quoque Moses  
 Magister eorundem, distulit, de eo,  
 qui in Sabbato stipulas collegerat,  
 pronunciare, quia parum ei lique-  
 bat. Respondent Dæmones: *Mor-  
 régeremus monitis tuis, tute enim  
 Dominus noster es, & oculi nostri*

te spectant. Subjicit Rex: *Mecum morator homo iste hac nocte, ne  
 illum perimant, antequam de sententia concipienda liquido constet: atq;  
 id factum.* Haud multo post, interrogat Asmodæus hominem, num in  
 Sacris Literis, & *deuterq; sit exercitatus, jubetque afferre Codicem  
 Legis, Prophetarum, & Hagiographorum, itemque Mischnæ Ordines,  
 cum Talmude, ac in illius profectus inquirat, deprehenditque omnium  
 rerum apprime gnarum.* Cum ista sic explorasset Asmodæus, ait ho-  
 mini: *Nunc equidem scio, te virum sapientem esse, atque omnino tibi  
 redditus sum propitius.* Ergo jusjurandum dato, edoctorum te filium  
 mecum

גדול וחכם. ועלתה חפץ לראות' הדן  
ולברוק בטענות והס יבואו לפני זכאי  
אזילך חידים : למחר באו בר לפני המלך  
אשמדאי ואמרו לו לא מצאנו לו טוס  
זכות . ענה הבחור ואמר להס אזי L  
דיון גדול יותר חכם אזי רוצה דס  
לפסעם בדיני אמרו לו ראו לעשות C  
כדברך . כתיעצו ביניהם ואמרו איך טוב  
לנו אלא להביאו לפני המלך אשמדאי  
שהוא למד תמיד מיטיבה של מעלה  
ואיך יגדל והוא למד ביטיבה של א  
מטה . ולכן הוא בקי בדין מן השמים  
ומן הארץ . הלכו ועאלו לאשמדאי מה  
אמר בדינו . אמר להס איך לאים א  
היה מטפט מות כי כל מה טעפה לא  
במרד ובמעל ולא בזדון עשה . אלא  
טולתן האנשים הסיתויה והטעויה א  
בדברים ואכנס רחמנא פטוריה . מנא  
לן מן . לנערה לא טעפה דבר . ואתם  
יכולים לדעת כי כן הוא טהמס א  
המית בים האנשים ההס והוא ניכול .  
וכטעמע הדב כך כטרויהו בדין . ואחרי  
כן לקחו אשמדאי והביאו לביתו וסס  
בנו לכנו ללמדו . תוקה ומה פהים א  
יודע ועמה לו כבוד גדול וכבסוף טלות

restis juris habet notitiam. Abeuntigitur, & ex Asmodæo quaerunt, quid illi videatur? a quo hoc responsum accipiunt: Iste homo, neutiquam capitis poenam commeruit: quicquid enim fecit, nec sponte; nec cum destinato animi proposito, nec dolo malo ab eo est factum. Verum navicularii illi, verbis suis ipsum pellexerunt, deceperuntque, at, quæ invita sunt, Numen non attendit. Vnde hæc colligimus? Ex loco (Deut. XXII. 26. ubi de puella per vim compressa legitur.) Puella autem, ne facito quicquam. Atque vos, ex eo quoque agnoscere potestis, rem ita se habere, quia Numen viros illos in mari sustulit, iste autem evasit salvus. Hæc, cum Senatus percepisset, in-

meum, ea, quæ tute tenes, atque eripiam te emanu Dæmonum, quos in te necando novi conspiraturos, Juratigitur Regi, atque Rex postea ait homini: Veni, indicabo tibi argumenta, quibus die crastino te defendabis, cum capitalem sententiam adversus te ferent. Dic nimirum illis, te esse Judicem, Sapientemque magni nominis, ac proinde cupere te ipsorum cognoscere decretum, & examinare rationes, tum me illi adibunt, atque ego te servabo. Postridie convenit Senatus coram Asmodæo, ajuntque: Non reperi-mus ullam causam, quare eum absolveremus. Tum homo ille dicere: Mihi major, quam vobis, juris est peritia, atque volo inquirere in justitiam sententiæ vestræ. Respondent dæmones: Æquum est nos tibi hoc concedere. Post habitam autem deliberationem, in-quiunt: Nihil magis ex usu nobis est, quam ut illum coram Rege Asmodæo sistamus, ipse enim quotidie in ætherea Academia literis invigilat, & deinde descendit, atque in ima quoque Academia studiis operatur, itaque, & cœlestis & ter-

פנים יודע בן אסמודאי כל מה שלמדו  
